

Inter libros
Josephi Mariæ Parascandoli
Antecessoris Regii
A. L. X.

PHÆDRI AVG. LIBERTI FABVLARVM ÆSOPIARVM LIBRI V.

NOVA EDITIO.

FESTI AVIENI FABVLARVM LIBER.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY,
via Iacobæa, ſub Ciconijs.

M. DC. XXX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO VIRO

IAC. AVG. THVANO

SACRI CONSISTORII

CONSILIARIO SENATVSQ.

Parisiensis præsidi

NIC. RIGALTIVS S.D.

PHædri libellos, a me nuper ad fidem Pithœani codicis & alterius item vetustissimi, quem nobis ex Remensi bibliotheca doctissimi viri Iac. Sirmondi cura deprompsit, recognitos, vt tibi, Præses amplissime, offer-

ã ij

rem, tuoque nomini deuouerem, fecit amicissimi tui Petri Pithœi non sine ingenti desiderio relicta bonis omnibus recordatio : fecit animus erga te meus, quem multis nominibus deuinctum iam habes: fecit solenne feriarum tempus, atque ipsa ridentis anni, vt verbo Varronis vtar, autumnitas. Quæ postrema ratio fabulares liberti iocos, vernula vrbanitate amabiles argutias, placere tibi posse, sola mihi facile persuasit. Nam aliâs huiusmodi scripta curis publicis occupato intempestiue nimis obtulissem. Neque, opinor, displicebit quod libertum otij tui comitem fecerim, quando feriæ istæ quasi Saturnalia sunt, quibus & Mineruij quondam ciues, & Romani rerum

domini ſeruis ſuis velut precariam libertatem indulgere, vna cum ijs ludere, epulari, quin & aliqua etiam iubentibus gratioſe parere conſueuerant. Habe igitur imperatorium libertum, quem inter ruſticandum, ſuauiter fabulantem, imo grauiter, & quidem paucis, philoſophantem admireris. Nec dubito quin ex animi tui ſententia pronunties, parum cordatos videri, qui fabularum audito nomine ſtatim faſtidiunt, & tales pueris ab nutrice aut auia cum crepitacillis in aurem ganniri ſolere blaterant. adeo illi bis pueri, non intelligunt hiſce fabulis vtiliſſima ciuilis ſapientiæ capita contineri, quibus aut priuatorum vitia iucunde caſtigantur, aut Tiberij & quorun-

dam aliorum difficillima tempora figurate notantur. Hanc enim scribendi formam nasutissimus libertus adinuenit, qua impune in seculi sui mores, adeoque in procerum scelera luderet, ac sermone brutis attributo in homines quibuslibet feris efferatiores animaduerteret. Sic plerumque sub Agni pelle rapacem Lupum exagitat, & sub persona Lupi sæuissimum tyranni ingenium percellit. Siquidem iam tum depudescebat humanum genus, eaque vitia quæ vel in brutis damnanda esse omnes fatentur, ipsi inter se se maiore flagitio patrare non erubescebant. vt etiam præuaricante Rationis magistratu, tandem ad ipsius Naturæ tribunal fuerit prouocandum. Nam quis

in Cane fidem, in Agno ſimplicitatem, in Formica laboris aſſidui conſtantiam commendari audit, & continuo in Homine perfidiam, malignitatem, ſegnitiam non redarguat? Aut quis in Lupo rapacitatem, in Vulpe dolos & inſidias, in Vrſo ſæuitiam damnat; & hæc omnia in vnum plerumque hominem confluxiſſe non indignatur? Quis denique feras ipſas in Naturæ velut ancora ſtare & contineri non reluctantes; homines autem excuſſo rationis iugo, nullis legum frenis regi aut cohiberi poſſe non ſuccenſeat? Sic igitur philoſophus noſter Æſopijs brutorum dialogis mores hominum bruteſcentes vaferrime tangit. ideoque forſan improbi nomen iocoſæ ſapientiæ artifici

Martialis imposuit : horridæ scilicet & improbatæ illo æuo libertatis , quam ille bestiarum fabulis subesse intelligebat , elogium potius quam vllius iniuriæ sensu concitatæ mentis remaledicentia. Sed hoc fuit eximij Censoris fatum, vt diu latuerit ignobilis, fœdæ mancipatus incuriæ, abiectus inter purgamenta negligenter: vt quod ipse præsensisse videtur , margariti illius Æsopei vicem sortitus in sterquilinio iacuerit, donec ab Francisco Pithœo repertus , ac postmodum à Petro fratre detersus resplenduit. nostris antehac hominibus fere incognitus ; at non antiquis : certe non Martiali ; sed nec Auieno, quos indicauit sagacissimus ille Pithœus in præclara ad Franciscum fratrem epistola

epiſtola, quam heic pro notore locupletiſſimo ſubieciſſe ſufficiet. Bene vale, vir ampliſſime; & munuſculo litterario, qua ſoles litteras cura & humanitate complecti, ſi meruiſſe videbitur, faue. Lutetiæ Pariſior. x. Kal. Sept. Reb. prolatis. Anno Chr. CIƆ IƆIC.

PETRVS PITHOEVS FRANCISCO FRATRI.

REddo tibi, Frater, pro nouellis constitutionibus Imperatoris, veteres fabellas Imperatorij liberti, & quantum quidem conijcio, Tiberij, atque adeo post Seianum damnatum. nam quis istos deinceps laudauit vnquam? Eius scriptoris qui meminerit ex veteribus nullum dum reperi præter Martialem & Auienum, quem etiam Virgilij fabulas iambis scripsisse tradunt. Thracem se fuisse ipse innuit & Græciæ vicinum: vt nec ij libelli Senecæ fidem eleuent testantis Æsopios logos intentatum Romanis ingenijs opus. Senem admodum scripsisse præter seniles de ætate querellas, vel illa

arguunt quod se D. Augustum ius-dicentem audijsse, & Cilnij Mæcenatis Bathyllum saltantem vidisse significat. Cuicui vero alapas & libertatem debuerit, tibi certe, Frater, iam vitam debet, quam temporum iniuria pæne sepulto exemplaris a te reperti beneficio restituere conatus sum. Ita tu patronus Phædro, ego adsertor ac vindex vel non idoneus; sine satisdatione tamen venio, & Augusti libertum, vel libertinum potius, priuatus hac etiam parte testabilem publicique iuris facio: tu illi adsis ac faueas modo, qui & poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirare non ignoras, & hoc figmenti genus a veri professoribus vsque adeo non esse alienum, vt a Socrate ipso Æsopi λόγους versibus redditos Cebes apud Platonem in eos laudauerit. Haue, mi frater, & inter istam publicam luem salue atque. Tricassib. x. Kal. Septembres, rebus prolatis, anno CIↃ IↃ XCVI.

Martialis Epigr. xx. lib. III.

Dic Musa quid agat Canius meus Rufus.
Vtrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quæ Neroni falsus adstruit scriptor?
An æmulatur improbi iocos Phædri?

Auienus in Præfatione Fabularum suarum Æsopicarum ad Theodosium.

Huius materiæ ducem nobis Æsopum noueris, qui responso Apollinis monitus ridicula orsus est vt legenda firmaret. Verum has pro exemplo Fabulas & Socrates diuinis operibus indidit, & poemati suo Flaccus aptauit, quod in se, sub iocorum communium specie, vita argumenta contineant: quas Græcis iambis Babrius repetens in duo volumina coartauit; Phædrus etiam partem aliquam quinque in libellos resoluit. De his ego vsque ad XLII. *in vnum redactas fabulas dedi, quas rudi Latinitate compositas elegis sum explicare conatus.*

FABVLAR.

FABVLARVM
INDEX.

LIB. I.

ĩ

LIB. IV.

LIB. II.

LIB. III.

LIB. IV.

LIB. V.

Pag. 17. lege, Eſt Ardelionum quædam Romæ natio

Pag. 37. lege, Quum victi Mures Muſtelarum exercitu
Fugerent, & artos circum trepidarent cauos.

PHÆDRI

PHAEDRI AVG. LIB.

FABVLARVM AESOPIARVM.

LIB. I.

AEsopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego poliui versibus senarijs.
Duplex libelli dos est, quod risum mouet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit
Quod arbores loquantur, non tantum feræ,
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

FABVLA I.

Ad riuum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longéque inferior Agnus. túnc fauce improba
Latro incitatus iurgij causam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens:
Quî possum quæso facere quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.

Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses at maledixisti mihi.
Respondit Agnus: Equidem natus non eram,
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat iniusta nece
Hæc propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

FABVLA II.

Athenæ quum florerent æquis legibus,
Procax libertas ciuitatem miscuit,
Frenúmque soluit pristinum licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Quum tristem seruitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, sed quoniam graue
Omnino insuetis onus, & cepissent queri,
Æsopus talem tum fabellam retulit.
¶ Ranæ vagantes liberis paludibus,
Clamore magno Regem petiere à Ioue,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater Deorum risit, atque illis dedit
Paruum tigillum, missum quod subito vadis.
Motu sonóque terruit pauidum genus.
Hoc mersum limo quum iaceret diutius,
Forte vna tacite profert è stagno caput,
Et explorato rege, cunctas euocat.
Illæ timore posito certatim adnatant,
Lignúmque supra turba petulans insilit:
Quod quum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Iouem,
Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere cepit singulas. frustra necem
Fugitant inertes; vocem præcludit metus.

Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem
Adflictis vt succurrat. Tunc contra Deus;
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque ô ciues, ait,
Hoc sustinete, maius ne veniat malum.

FABVLA III.

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
AEsopus nobis hoc exemplum prodidit.
¶ Tumens inani Gracculus superbia,
Pennas Pauoni quæ deciderant, sustulit,
Seque exornauit: deinde contemnens suos,
Immiscuit se pauonum formoso gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt aui,
Fugantque rostris. male mulcatus Gracculus
Redire mœrens cepit ad proprium genus,
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus,
Et quod natura dederat voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FABVLA IIII.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.
¶ Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in speculo vidit simulactum suum:
Aliamque prædam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verum decepta auiditas,
Et quem tenebat ore dimisit cibum,
Nec quem petebat adeo potuit attingere.

FABULA V.

Nunquam est fidelis cum potente societas:
Testatur hæc fabella propositum meum.
¶ Vacca & Capella & patiens Ouis iniuriæ
Socij fuere cum Leone in saltibus.
Hi quum cepissent Ceruum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo;
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi:
Tum quia plus valeo, me sequetur tertia:
Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

FABULA VI.

Vicini furis celebres vidit nuptias
AEsopus, & continuo narrare incipit:
¶ Vxorem quundam Sol quum vellet ducere,
Clamorem Ranæ sustulere ad sydera.
Conuicio permotus quærit Iupiter
Causam querelæ: quædam tum stagni incola:
Nunc, inquit, omnes vnus exurit lacus,
Cogitque miseras arida sede emori:
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

FABULA VII.

Personam tragicam forte vulpes viderat,
O quanta species, inquit, cerebrum non habet.
¶ Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

FABVLA VIII.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat
Bis peccat: primum quoniam indignos adiuuat:
Impune abire deinde quia iam non potest.
¶ Os deuoratum fauce quum hæreret Lupi,
Magno dolore victus cepit singulos
Inlicere pretio, vt illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iureiurando Gruis,
Gulaque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo.
Pro quo quum facto flagitaret præmium:
Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.

FABVLA IX.

Sibi non cauere & aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.
¶ Oppressum ab Aquila fletus edentem graues
Leporem obiurgabat Passer: Vbi pernicitas
Nota, inquit, illa est, quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum accipiter necopinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra inridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

FABVLBA X.

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiam si verum dicit, amittit fidem.

Hoc adteſtatur breuis Æſopi fabula.
¶ Lupus arguebat Vulpem furti crimine,
Negabat illa ſe eſſe culpæ proximam.
Tunc iudex inter illos ſedit Simius.
Vterque cauſam cum peroraſſent ſuam,
Dixiſſe fertur Simius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe quod petis,
Te credo ſubripuiſſe quod pulcre negas.

FABVLA XI.

Virtutis expers verbis iactans gloriam
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.
¶ Venari Aſello comite quum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit ſimul
Vt inſueta voce terreret feras,
Fugientes ipſe exciperet. hic auriculas
Clamore ſubito tollit totis viribus,
Nouoque turbat beſtias miraculo:
Quæ dum pauentes, exitus notos petunt,
Leonis adficiuntur horrendo impetu.
Qui poſtquam cæde feſſus eſt, Aſinum euocat,
Iubetque vocem premere: tunc ille inſolens,
Qualis videtur tibi opera hæc vocis meæ?
Inſignis, inquit, ſic vt niſi noſſem tuum
Animum, genuſque, ſimili fuiſſem in metu.

FABVLA XII.

Laudatis vtiliora quæ contempſeris
Sæpe inueniri, hæc exerit narratio.
¶ Ad fontem Ceruus quum bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.
Ibi dum ramoſa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,

Venantium subito vocibus conterritus,
Per campum fugere cepit, & cursu leui
Canes elusit: silua tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari cepit morsibus sæuis canum.
Tunc moriens, vocem hanc edidisse dicitur,
O me infelicem, qui nunc demum intellego
Vt illa mihi profuerint quæ despexeram,
Et quæ laudaram, quantum luctus habuerint.

FABVLA XIII.

Qui se laudari gaudet verbis subdolis,
Fere dat pœnas turpi pœnitentia.
¶ Quum de fenestra Coruus raptum caseum
Comesse vellet celsa residens arbore,
Hunc vidit Vulpes, dehinc sic occepit loqui:
O qui tuarum, Corue, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum, quem celeriter
Dolosa Vulpes auidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corui deceptus stupor.
Hac re probatur quantum ingenium valet.
Virtute semper præualet sapientia.

FABVLA XIIII.

Malus quum Sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere cepisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis adquisiuit sibi famam strophis.
Hic quum iaceret morbo confectus graui,

Rex vrbis eius experiendi gratia,
Scyphum popoſcit, fuſa dein ſimulans aqua
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Hoc bibere iuſſit ipſum poſito præmio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non artis vlla medicum ſe prudentia,
Verum ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex aduocata concione hæc addidit:
Quantæ putatis eſſe vos dementiæ,
Qui capita veſtra non dubitatis credere
Cui calceandos nemo commiſit pedes?
¶ Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum ſtultitiæ quæſtus impudentia eſt.

FABVLA XV.

In principatu commutando, ſæpius
Nil præter domini nomen mutant pauperes.
Id eſſe verum parua hæc fabella indicat.
¶ Aſellum in prato timidus paſcebat ſenex:
Is hoſtium clamore ſubito territus,
Suadebat Aſino fugere, ne poſſent capi.
At ille lentus, quæſo num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negauit: Ergo, quid refert mea
Cui ſeruiam, clitellas dum portem meas?

FABVLA XVI.

Fraudator nomen quum locat ſponſu improbo,
Non rem expedire, ſed mala videre expetit.
¶ Ouem rogabat Ceruus modium tritici
Lupo ſponſore: at illa præmetuens dolum:
Rapere atque abire ſemper adſueuit Lupus,

Tu de conſpectu fugere veloci impetu;
Vbi vos requiram quum dies aduenerit?

FABVLA XVII.

Solent mendaces luere pœnas malefici.
¶ Calumniator ab Oue quum peteret Canis
Quem commendaſſe panem ſe contenderet,
Lupus citatus teſtis, non vnum modo
Deberi dixit, verum affirmauit decem.
Ouis damnata falſo teſtimonio,
Quod non debebat, ſoluit. poſt paucos dies
Ouis iacentem in fouea conſpexit Lupum:
Hæc, inquit, merces fraudis a Superis datur.

FABVLA XVIII.

Nemo libenter recolit, qui læſit, locum.
¶ Inſtante partu Mulier actis menſibus,
Humo iacebat flebiles gemitus ciens.
Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturæ melius quo deponeret:
Minime, inquit, illo poſſe confido loco
Malum finiri, quo conceptum eſt initio.

FABVLA XIX.

Habent inſidias hominis blanditiæ mali;
Quas vt vitemus, verſus ſubiecti monent.
¶ Canis parturiens, quum rogaſſet alteram,
Vt fœtum in eius tugurio deponeret,
Facile impetrauit, dein repoſcenti locum,
Preces admouit: tempus exorans breue

Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumto, flagitare validius
Cubile cepit: Si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

FABVLA XX.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.
¶ Corium depressum in fluuio viderunt Canes:
Id vt comesse extractum possent facilius,
Aquam cepere bibere: sed rupti prius
Periere, quam quod petierant, contingerent.

FABVLA XXI.

Quicunque amisit dignitatem pristinam,
Ignauis etiam iocus est in casu graui.
¶ Defectus annis & desertus viribus
Leo quum iaceret spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicauit ictu veterem iniuriam:
Infestis Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus vt vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem exterit.
At ille expirans: Fortes indigne tuli
Mihi insultare. te naturæ dedecus
Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

FABVLA XXII.

Mustela ab Homine prensa, quum instãtem necem
Effugere vellet; Quæso, inquit, parcas mihi,

Quæ tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: Faceres si causa mea,
Gratum esset, & dedissem veniam supplici:
Nunc quia laboras vt fruaris reliquiis,
Quæ sunt rosuri, simul & ipsos deuores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus, improbam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum priuata seruit vtilitas sibi,
Et meritum inane iactant imprudentibus.

FABVLA XXIII.

Repente liberalis stultis gratus est,
Verum peritis irritos tendit dolos.
¶ Nocturnus quum fur panem misisset Cani,
Obiecto tentans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini: multum falleris.
Namque ista subita me iubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

FABVLA XXIIII.

Inops potentem dum vult imitari, perit.
¶ In prato quodam Rana conspexit Bouem,
Et tacta inuidia tantæ magnitudinis,
Rugosam inflauit pellem: tum natos suos
Interrogauit, an Boue esset latior.
Illi negarunt, rursus intendit cutem
Maiore nisu, & simili quæsiuit modo,
Quis maior esset; illi dixerunt, Bouem.
Nouissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto iacuit corpore.

FABVLA XXV.

Consilia qui dant praua cautis hominibus,
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
¶ Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Crocodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur quum currens bibere cepisset canis,
Sic Crocodilus: Quamlibet lambe otio,
Noli vereri. at ille: Facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.

FABVLA XXVI.

Nulli nocendum: si quis vero læserit,
Multandum simili iure, fabella ammonet.
¶ Vulpes ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior inuitasse, & illi in patina liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia:
Quæ Vulpem quum reuocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, & torquet conuiuam fame:
Quæ quum lagonæ frustra collum lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

FABVLA XXVII.

Hæc res auaris esse conueniens potest,
Et qui humiles nati dici locupletes student.
¶ Humana effodiens ossa, thesaurum Canis
Inuenit, & violauit quia Manes Deos,

Iniecta est illi diuitiarum cupiditas,
Pœnas vt sanctæ relligioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
Fame est consumtus: quem stans Vulturius super
Fertur locutus: ô Canis, merito iaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Triuio conceptus, & educatus stercore.

FABVLA XXVIII.

Quamuis sublimes debent humiles metuere:
Vindicta docili quia patet solertiæ.
¶ Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoque posuit, pullis escam vt carperent:
Hanc persecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miseræ luctum importaret sibi.
Contemsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila, vt periclo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

FABVLA XXIX.

Plerumque stulti risum dum captant leuem,
Graui destringunt alios contumelia,
Et sibi nociuum concitant periculum.
¶ Asellus Apro quum fuisset obuius;
Salue, inquit, frater: ille indignans, repudiat
Officium, & quærit cur sic mentiri velit.
Asinus demisso pene: Si similem negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper quum vellet facere generosum impetum,

Repressit iram: &,Facilis vindicta est mihi:
Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

FABVLA XXX.

Humiles laborant, vbi potentes dissident.

¶ Rana in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu quum illi certarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boues:
Natio, ait, separata, ac diuersum est genus.
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

FABVLA XXXI.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium inuenit.

¶ Columbæ sæpe quum fugissent Miluium,
Et celeritate pennæ vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius æuum ducitis,
Quam regem me creatis icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem iniuria?
Illæ credentes, tradunt sese Miluio,
Qui regnum adeptus cepit vesci singulas
Et exercere imperium sæuis vnguibus.
De reliquis tunc vna: Merito plectimur.

EXPLICIT LIB. I.

INCIPIT LIB. II.

FABVLA, I.

EXemplis continetur AEsopi genus,
Nec aliud quicquam per fabellas quæritur
Quam corrigatur error vt mortalium,
Acuatque sese diligens industria.
Quicunque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem & seruet propositum suum,
Re commendatur non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem seruabo Senis:
Sed si libuerit aliquid interponere
Dictorum, sensus vt delectet varietas,
Bonas in partes, lector, accipias velim.
Sic ista tibi rependet breuitas gratiam,
Cuius verbosa ne sit commendatio,
Attende cur negare cupidis debeas;
Modestis etiam offerre quod non petierint.
¶ Super Iuuencum stabat deiectum Leo:
Prædator interuenit partem postulans:
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et improbum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,
Feroque viso rettulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non est quod timeas, ait:
Et quæ debetur pars tuæ modestiæ
Audacter tolle, tunc diuiso tergore,
Siluas petiuit, homini vt accessum daret.
Exemplum egregium prorsus & laudabile.
Verum est auiditas diues, & pauper pudor.

FABVLA II.

A feminis vtcunque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.
¶ AEtatis mediæ cuidam, mulier non rudis
Tegebat annos celans elegantia:
Animosque eiusdem pulcra iuuenis ceperat.
Ambæ videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cepere inuicem.
Quum se putaret pingi cura mulierum,
Caluus repente factus est. nam funditus
Canos puella, nigros anus euellerat.

FABVLA III.

Laceratus quidam morsu vehementis Canis,
Tinctum cruore panem immisit malefico,
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic AEsopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos viuos deuorent,
Quum scierint esse tale culpæ præmium.
¶ Successus improborum plures allicit.

FABVLA IIII.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:
Feles cauernam nancta, in media pepererat:
Sus nemoris cultrix fœtum ad imam posuerat.
Tum fortuitum Feles contubernium
Fraude & scelesta sic euertit malitia.
Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan & miseræ mihi.

Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult euertere,
Vt nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore effuso & perturbatis sensibus,
Direpit ad cubile setosæ suis;
Magno, inquit, in periculo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam compleuit locum,
Dolosa tuto condidit sese cauo.
Inde euagata noctu suspenso pede,
Vbi esca se repleuit & prolem suam,
Pauorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,
Felisque catulis largam præbuerunt dapem.
¶ Quantum homo bilinguis sæpe concinnet mali
Documentum habere stulta credulitas potest.

FABVLA V.

Est Ardelionum quædam Romæ notio
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta & aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella: pretium est operæ attendere.
¶ Cæsar Tiberius quum petens Neapolim,
In Misenensem villam venisset suam,
Quæ monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum & prospicit Tuscum mare,
Ex alticinctis vnus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante læta Domino viridiaria,

Alueolo cepit ligneo conspargere
Humum æstuantem, come officium iactitans:
Sed deridetur: inde notis flexibus
Præcurrit alium in xistum, sedans puluerem.
Agnoscit hominem Cæsar, remque intelligit.
Heus, inquit Dominus. ille enimuero adsilit,
Tum sic iocata est tanti maiestas Ducis:
Multo maioris alapæ mecum veneunt.

FABVLA VI.

Contra potentes nemo est munitus satis:
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.
¶ Aquila in sublime sustulit testudinem,
Quæ quum abdidisset cornea corpus domo,
Nec vllo pacto lædi posset condita,
Venit per auras Cornix, & propter volans
Opimam sane prædam rapuisti vnguibus,
Sed nisi monstraro quid sit faciendum tibi,
Graui nequicquam te lassabis pondere.
Promissa parte, suadet vt scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem,
Qua comminuta facile vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul & magistræ large diuisit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

FABVLA VII.

Muli grauati sarcinis ibant duo;
Vnus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere diues, celsa ceruice eminens,

Clarumque collo iactans tintinabulum:
Comes quieto sequitur & placido gradu.
Subito latrones ex insidiis aduolant,
Interque cædem ferro mulum trusitant,
Diripiunt nummos, neglegunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus quum fleret suos,
Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo;
Nam nil amisi, nec sum læsus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,
Magnæ periclo sunt opes obnoxiæ.

FABVLA VIII.

Ceruus nemorosis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret instantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et opportuno se bouili condidit.
Heic Bos latenti: Quidnam voluisti tibi
Infelix vltro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite,
Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei, noctis excipiunt vices,
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt subinde & redeunt omnes rustici,
Nemo animaduertit: transit etiam villicus,
Nec ille quicquam sentit. tum gaudens ferus
Bobus quietis agere cepit gratias,
Hospitium aduerso quod præstiterint tempore.
Respondit vnus: Saluum te cupimus quidem,
Sed ille qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Hæc inter, ipse dominus a cena redit:
Et quia corruptos viderat nuper boues,
Accedit ad præsepe: Cur frondis parum est?
Stramenta desunt. Tollere hæc aranea
Quantum est laboris? dum scrutatur singula,

Cerui quoque alta est conspicatus cornua,
Quem conuocata iubet occidi familia,
Prædamque tollit. ¶ Hæc significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

IX.

AEsopo ingentem statuam posuere Attici,
Servumque collocarunt æterna in basi,
Patere honoris scirent vt cuncti viam,
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter ne primus forem,
Ne solus esset studui, quod superfuit.
Nec hæc inuidia, verum est æmulatio.
Quod si labori fauerit Latium meo,
Plures habebit quos opponat Græciæ.
Si liuor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submouet felicitas.
Sin autem doctus illis occurrit labor
Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quicquam possunt nisi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

LIB. II. EXPLICIT.

INCIPIT LIBER III.

Phædri libellos legere ſi deſideras,
Vaces oportet, Eutyche, à negotiis,
Vt liber animus ſentiat vim carminis.
Verũ, inquis, tanti non eſt ingeniũ tuum,
Momentum vt horæ pereat officij mei.
Non ergo cauſſa eſt manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non conuenit.
Fortaſſe dices: Aliquæ venient feriæ
Quæ me ſoluto pectore ad ſtudium vocent.
Legeſne quæſo potius viles næ nias
Impendas curam quam rei domeſticæ,
Reddas amicis tempora, vxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Vt adſuetam fortius præſtes vicem?
Mutandum tibi propoſitum eſt & vitæ genus,
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa eſt iugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Ioui
Fœcunda nouies artium peperit chorum,
Quamuis in ipſa natus ſim pene ſchola,
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Et laude inuita in hanc vitam incubuerim,
Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia,
Docto labori dulce præponens lucrum?
Sed iam quodcunque fuerit (vt dixit Sinon
Ad regem quum Dardaniæ perductus foret)
Librum exarabo tertium Æſopi ſtilo,

Honori & meritis dedicans illum tuis:
Quem si leges, lætabor; sin autem minus,
Habebunt certe quo se oblectent posteri.
Nunc fabularum cur sit inuentum genus
Breui docebo. Seruitus obnoxia
Quia quæ volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego porro illius semita feci viam,
Et cogitaui plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.
Quod si accusator alius Sciano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delinirem remediis.
Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam:
Huic excusatum me velim nihilominus.
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam & mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet forsan aliquis grauem:
Si Phryx Æsopus potuit, Anacharsis Schytha
Æternam famam condere ingenio suo:
Ego litteratæ qui sum propior Græciæ
Cur sumno inerti deseram patriæ decus?
Threissa quum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens; Musa Orpheo,
Qui saxa cantu mouit & domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abesto, liuor, ne frustra gemas:
Quoniam mihi sollemnis debetur gloria.
Induxi te ad legendum: sincerum mihi
Candore noto reddas iudicium peto.

FABVLA I.

Anus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna fæce & testa nobili
Odorem quæ iocundum late spargeret.
Hunc postquam totis auida traxit naribus:
O suauis anima, qualem te dicam bonam
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiæ?
Hoc quo pertineat dicet qui me nouerit.

FABVLA II.

Solet a despectis par referri gratia.
¶ Panthera imprudens olim in foueam decidit.
Videre agrestes: alij fustes congerunt,
Alij onerant saxis. quidam contra miseriti,
Perituræ quippe, quamuis nemo læderet,
Misere panem, vt sustineret spiritum.
Nox insecuta est, abeuat securi domum,
Quasi inuenturi mortuam postridie.
At illa vires vt refecit languidas,
Veloci saltu fouea sese liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, prouolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans sæuit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui feræ pepercerant,
Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant:
Et illa, Memini qui me saxo petierint,
Qui panem dederint: vos timere absistite,
Illis reuertor hostis qui me læserant.

FABVLA III.

Vſu peritus hariolo veracior
Vulgo eſſe fertur: cauſa ſed non dicitur,
Noteſcet quæ nunc primum fabella mea.
¶ Habenti cuidam pecora pepererunt oues
Agnos humano capite. monſtro exterritus
Ad conſulendos currit mærens hariolos.
Hic pertinere ad domini reſpondet caput,
Et auertendum victima periculum.
Ille autem affirmat coniugem eſſe adulteram,
Et inſitiuos ſignificari liberos,
Sed expiari poſſe maiori hoſtia.
Quid multa? variis diſſident ſententiis,
Hominiſque curam cura maiore aggrauant.
Æſopus ibi ſtans naris emunctæ ſenex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis oſtentum, ruſtice,
Vxores, inquit, da tuis paſtoribus.

FABVLA IIII.

Pendere ad Lanium quidam vidit Simium
Inter reliquas merces atque obſonia.
Quæſiuit quidnam ſaperet, tum Lanius iocans:
Quale, inquit, caput eſt, talis præſtatur ſapor.
¶ Ridicule magis hoc dictum quam vere æſtimo,
Quando & formoſos ſæpe inueni peſſimos,
Et turpi facie multos cognoui optimos.

FABVLA

FABVLA V.

Succeſſus ad perniciem multos deuocat.

¶ AEſopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior: aſſem deinde illi dedit,
Sic proſecutus, Plus non habeo mehercule,
Sed vnde accipere poſſis monſtrabo tibi.
Venit ecce diues & potens: huic ſimiliter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Perſuaſus ille, fecit quod monitus fuit.
Sed ſpes fefellit impudentem audaciam,
Comprehenſus namque pœnas perſoluit cruce.

FABVLA VI.

Muſca in temone ſedit & Mulam increpans:
Quam tarda es, inquit: non vis citius progredi?
Vide ne dolone collum compungam tibi.
Reſpondit illa: Verbis non moueor tuis,
Sed iſtum timeo ſella qui prima ſedens
Iugum flagello temperat lento meum,
Et lora frenis continet ſpumantibus.
Quapropter aufer friuolam inſolentiam:
Namque vbi ſtrigandum eſt, & vbi currendum, ſcio.
¶ Hac derideri fabula merito poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

FABVLA VII.

Quam dulcis ſit libertas breuiter proloquar.
¶ Cani perpaſto, macie confectus Lupus
Forte occurrit: ſalutantes dein inuicem

Vt restiterunt; Vnde sic quæso nites,
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,
Præstare domino si per officium potes.
Quod? inquit ille. Custos vt sis liminis,
A furibus tuearis & noctu domum.
Ego vero sum paratus: nunc patior niues,
Imbresque, in syluis asperam vitam trahens:
Quanto est facilius mihi sub tecto viuere,
Et otiosum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum Canis.
Vnde hoc, amice? Nihil est. Dic quæso tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce vt quiescam, & vigilem nox quum venerit:
Crepusculo solutus, qua visum est vagor.
Adfertur vltro panis, de mensa sua
Dat ossa dominus, frustra iactat familia,
Et quod fastidit quisque pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus.
Age, si quo est abire animus, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere quæ laudas Canis.
Regnare nolo, liber vt non sim mihi.

FABVLA VIII.

Præcepto monitus sæpe te considera.
¶ Habebat quidam filiam turpissimam,
Idemque insigni & pulcra facie filium.
His speculum in cathedra matris suppositum fuit.
Pueriliter ludentes, forte inspexerant.
Hic se formosum iactat; illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet fratris iocos.
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem cucurrit læsura inuicem,
Magnaque inuidia criminatur filium,

Vir natus, quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus vtrumque ille, & carpens oscula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Cotidie, inquit, speculo vos vti volo,
Tu formam ne corrompas nequitiæ malis;
Tu faciem vt istam moribus vincas bonis.

FABVLA IX.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.
¶ Quum paruas ædes sibi fundasset Socrates,
(Cuius non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo inuidiæ, dum modo absoluar cinis)
E populo sic nescio quis, vt fieri solet:
Quæso tam angustam talis vir ponis domum?
Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

FABVLA X.

Periculosum est credere & non credere.
Vtriusque exemplum breuiter exponam rei.
Hippolytus obijt, quia nouercæ creditum est:
Cassandræ quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum prius,
Quam stulta praue iudicet sententia.
Sed fabulosa ne vetustate eleuem,
Narrabo tibi memoria quod factum est mea.
¶ Maritus quidam quum diligeret coniugem,
Togamque puram iam pararet filio,
Seductus in secretum à liberto suo
Sperante heredem suffici se proximum,
Qui dum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitijs castæ mulieris,
Adiecit id quod sentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum,

Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso vxoris crimine
Simulauit iter ad villam, clamque in oppido
Subsedit: deinde noctu subito ianuam
Intrauit, recta cubiculum vxoris petens,
In quo dormire mater natum iusserat,
Ætatem adultam seruans diligentius.
Dum quærunt lumen, dum concursat familia,
Iræ furentis impetum non sustinens
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Vt sentit tonsum, gladio pectus transfigit,
Nihil respiciens dum dolorem vindicet,
Lucerna adlata, simul aspexit filium,
Sanctamque vxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quæ nil somno senserat;
Repræsentauit in se pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumuiros,
Maligna insontem deprimit suspicio,
Quod bona possideat: stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis feminæ.
A Diuo Augusto tunc petiere iudices
Vt adiuuaret iurisiurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniæ,
Certumque fontem veritatis repperit,
Luat, inquit, pœnas causa libertus mali.
Namque orbam nato simul & priuatam viro,
Miserandam potius quam damnandam existimo.
Quod si damnanda perscrutatus crimina
Pater familias esset, si mendacium
Subtiliter limasset a radicibus,
Non euertisset scelere funesto domum.
¶ Nil spernat auris, nec tamen credat statim.
Quandoquidem & illi peccant quos minime putes;
Et qui non peccant impugnantur fraudibus.
Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius ne quid ponderent:

Ambitio namque diffidens mortalium,
Aut gratiæ subscribit, aut odio suo.
Erit ille notus, quem per te cognoueris.
¶ Hæc exsecutus sum propterea pluribus,
Breuitate nimia quoniam quosdam offendimus.

FABVLA XI.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo;
Qui super obscena dicta & petulans iurgium,
Damnum insectatus est amissi corporis:
En, ait, hoc vnum est cur laborem validius;
Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunæ stulte delictum arguis?
Id demum est homini turpe quod meruit pati.

FABVLA XII.

In sterquilinio pullus gallinacius
Dum quærit escam, margaritam repperit:
Iaces indigno quanta res, inquit, loco!
O si quis pretij cupidus vidisset tui!
Olim redisses ad splendorem maximum:
Ego qui te inueni, potior cui multo est cibus,
Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.
¶ Hoc illis narro qui me non intellegunt.

FABVLA XIII.

Apes in alta quercu fecerant fauos;
Hos Fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, Vespa iudice
Quæ genus vtrumque nosset cum pulcerrime.

Legem duabus hanc proposuit partibus:
Non inconueniens corpus, & par est color,
In dubium plane res vt merito venerit:
Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alueos accipite & ceris opus infundite,
Vt ex sapore mellis & forma faui,
De quîs nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant, Apibus condicio placet.
Tunc illa talem sustulit sententiam:
Apertum est quis non posiit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum restituo suum.
¶ Hanc præterissem fabulam silentio,
Si pactam Fuci non recusassent fidem.

FABVLA XIV.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
AEsopum nucibus quum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit. quod sensit simul
Derisor potius quam deridendus senex,
Arcum retensum posuit in media via:
Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim.
Concurrit populus: ille se torquet diu,
Nec quæstionis positæ causam intellegit.
Nouissime succumbit. tum victor sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris;
At si laxaris, quum voles, erit vtilis.
¶ Sic lusus animo debent aliquando dari,
Ad cogitandum melior vt redeat tibi

FABVLA XV.

Inter capellas Agno balanti Canis,
Stulte, inquit, erras: non est hæc mater tua.
Quesque segregatas ostendit procul.

Non illam quæro quæ quum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,
Nouissime prolapsam effundit sarcinam:
Verum illam quæ me nutrit admoto vbere,
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior quæ te peperit. Non ita est:
Vnde illa sciuit niger an albus nascerer?
Age porro sciffet: quum crearer masculus,
Beneficium magnum sane natali dedit
Vt expectarem lanium in horas singulas.
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quæ iacentis miserita est,
Dulcemque sponte præstat beniuolentiam?
Facit parentes bonitas non necessitas.
¶ His demonstrare voluit auctor versibus
Obsistere homines legibus, meritis capi.

FABVLA XVI.

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque pœnas oppetit superbiæ.
¶ Cicada acerbum noctuæ conuicium
Faciebat, solitæ victum in tenebris quærere
Cauoque ramo capere somnum interdiu.
Rogata est vt taceret. multo validius
Clamare cepit. rursus admota prece,
Accensa magis est. Noctua vt vidit sibi
Nullum esse auxilium, & verba contemni sua,
Hac est adgressa garrulam fallacia:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare cithara quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar quod Pallas mihi
Nuper donauit: si non fastidis, veni;
Vna bibamus. illa, quæ ardebat siti,
Simul cognouit vocem laudari suam,
Cupide aduolauit. Noctua egressa cauo

Trepidantem consectata est, & leto dedit.
Sic viua quod negarat, tribuit mortua.

FABVLA XVII.

Olim quas vellent esse in tutela sua
Diui legerunt arbores. quercus Ioui,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celsa Herculi.
Minerua admirans, quare steriles sumerent,
Interrogauit: causam dixit Iupiter:
Honore fructum ne videamur vendere.
At mehercule narrabit quod quis voluerit,
Oliua nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic Deorum genitor atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicêre omnibus:
Nisi vtile est quod facimus, stulta est gloria.
¶ Nihil agere quod non prosit, fabella admonet.

FABVLA XVIII.

Pauo ad Iunonem venit, indigne ferens
Cantus luscinij quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis auibus admirabilem,
Se derideri simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia, dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine,
Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datæ:
Tibi forma, vires aquilæ, luscinio melos,
Augurium coruo, læua cornici omina,
Omnes quæ propriis sunt contentæ vocibus.

¶ Noli adfectare quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

FABVLA XIX.

AEsopus domino solus cum esset familia
Parare cœnam iussus est maturius.
Ignem ergo quærens, aliquot lustrauit domus,
Tandemque inuenit vbi lucernam accenderet.
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit breuius: namque recta per forum
Cepit redire, & quidam è turba garrulus,
AEsope, medio sole quid cum lumine?
Hominem quæro, inquit, & abit festinans domum.
¶ Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
Sensit profecto se hominem non visum seni,
Intempestiue qui occupato adluserit.

FABVLA XX.

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
¶ Galli Cybeles circum quæstus ducere
Asinum solebant baiulantem sarcinas.
Is quum labore & plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore,
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

EXPLICIT LIB. III.

INCIPIT LIB. IIII.

Ioculare tibi videtur: & sane bene.
Dũ nihil habemus maius, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nænias,
Quantam sub illis vtilitatem reperies?
Non semper ea sunt quæ videntur, decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adijciam de mustela & muribus.

FABVLA I.

Mustela quum annis & senecta debilis
Mures velo ces non valeret adsequi,
Inuoluit se farina, & obscuro loco
Abiecit neglegenter. Mus escam putans
Adsiluit, & compressus occubuit neci:
Alter similiter, deinde periit tertius:
Aliquot secutis, venit & retorridus,
Qui sæpe laqueos & muscipula effugerat,
Proculque insidias cernens hostis callidi:
Sic valeas, inquit, vt farina es quæ iaces.

FABVLA II.

Fame coacta Vulpis alta in vinea
Vuam adpetebat summis saliens viribus,
Quam tangere vt non potuit, discedens ait:
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.
¶ Qui facere quæ non possunt, verbis eleuant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

FABVLA III.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese Aper volutat, turbauit vadum.
Hinc orta lis est. sonipes iratus fero,
Auxilium petiit hominis, quem dorso leuans
Rediit ad hostem lætus. hunc telis eques
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
Lætor tulisse auxilium me precibus tuis:
Nam prædam cepi, & didici quam sis vtilis.
Atque ita coëgit frenos inuitum pati.
Tum mæstus ille: Paruæ vindictam rei
Dum quæro demens, seruitutem repperi.
¶ Hæc iracundos admonebit fabula,
Impune potius lædi, quam dedi alteri.

FABVLA IIII.

Plus esse in vno sæpe, quam in turba boni,
Narratione posteris tradam breui.
¶ Quidam decedens tres reliquit filias,
Vnam formosam & oculis venantem viros;
At alteram lanificam & frugi rusticam;

Deuotam vino tertiam, & turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem senex
Sub conditione, totam vt fortunam tribus
AEqualiter distribuat, sed tali modo,
Ne data possideant aut fruantur, tum simul
Habere res desierint quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet; mater sedula
Iurisperitos consulit: nemo expedit
Quo pacto non possideant quod fuerit datum,
Fructumue capiant: deinde, quæ tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem aduocauit, iure neglecto, parens:
Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lauationem argenteam, eunuchos glabros:
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boues, iumenta, & instrumentum rusticum:
Potrici, plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, & delicatos hortulos.
Sic destinata dare quum vellet singulis,
Et adprobaret populus qui illas nouerat,
AEsopus media subito in turba constitit:
O si maneret condito sensus patri,
Quam grauiter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!
Rogatus deinde, soluit errorem omnium.
Domum & ornamenta cum venustis hortulis
Et vina vetera date lanificæ rusticæ:
Vestem, vniones, pedisequos & cetera
Illi adsignate, vitam quæ luxu trahit:
Agros, vites, & pecora cum pastoribus
Donate mœchæ: Nulla poterit perpeti.
Vt moribus quid teneat alienum suis.
Deformis cultum vendet, vt vinum paret;
Agros abiciet mœcha, vt ornatum paret;
At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
Quacunque summa tradet luxuriæ domum:

Sic nulla possidebit quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam
Ex pretio rerum quas vendiderint singulæ.
¶ Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis reppent sollertia.

FABVLA V.

Quum victi Mures Mustelarum exercitu
(Quorum in tabernis historia depingitur)
Fugerent, & artos circum trepidarent cauos,
Ægre recepti, tamen euaserunt necem:
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, vt conspicuum in prœlio
Haberent signum quod sequerentur milites,
Hæsere in portis, suntque capti ab hostibus,
Quos immolatos victor auidis dentibus
Capacis alui mersit tartareo specu.
¶ Quemcumque populum tristis euentus premit,
Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili præsidio latet.

VI.

Tu qui nasute scripta distringis mea,
Et hoc iocorum legere fastidis genus,
Parua libellum sustine patientia,
Seueritatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æsopus nouis.
Vtinam nec vnquam Pelei nemoris iugo
Pinus bipenni concidisset Thessala,
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quæ Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Graiûm & Barbarûm.

Namque & superbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliæ scelere Medeæ iacent,
Quæ sæuum ingenium variis inuoluens modis
Illic per artus fratris explicuit fugam,
Hîc cæde patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior
AEgea Minos classe perdomuit freta,
Iustoque vindicauit exemplo impetum:
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Sic nec fabellæ te iuuant, nec fabulæ?
Noli molestus esse omnino literis,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.
Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant:
Et reputentur sapere, cælum vituperant.

FABVLA VII.

Mordaciorem qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.
¶ In officinam Fabri venit Vipera.
Hęc quum tentaret si qua res esset cibi,
Limam momordit: illa contra contumax:
Quid me, inquit, stulta dente captas lædere,
Omne adsuëui ferrum quæ conrodere?

FABVLA VIII.

Homo simul ac venit in magnum periculum,
Effugium reperire alterius quærit malo.
¶ Quum decidisset Vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Deuenit Hircus sitiens in eundem locum:
Simul rogauit, esset an dulcis liquor,
Et copiosus. illa fraudem moliens,

Descende, amice, tanta bonitas est aquæ;
Voluptas vt satiari non possit mea.
Immisit se barbatus. tum Vulpecula
Euasit puteo, nixa celsis cornibus:
Hircumque clauso liquit hærentem vado.

FABVLA IX.

Peras imposuit Iupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit;
Alienis ante pectus suspendit grauem.
¶ Hac re videre nostra mala non possumus:
Alij simul delinquunt, censores sumus.

FABVLA X.

Lucernam fur accendit ex ara Iouis;
Ipsumque compilauit ad lumen suum;
Onustus qui sacrilegio quum discederet,
Repente vocem sancta misit religio:
Malorum quamuis ista fuerint munera,
Mihique inuisa, vt non offendar subripi;
Tamen, scelestè, spiritu culpam lues
Olim quum adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
¶ Quot res contineat hoc argumentum vtiles,
Non explicabit alius quam qui repperit.
Significat primo, sæpe quos ipse alueris,
Tibi inueniri maxime contrarios.
Secundo ostendit, scelera non ira Deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore.

Nouissime interdicit ne cum malefico
Vsum bonus consociet vllius rei.

FABVLA XI.

Opes inuisæ merito sunt forti viro,
Quia diues arca veram laudem intercipit.
¶ Cælo receptus propter virtutem Hercules,
Quum gratulantes persalutasset Deos:
Veniente Pluto, qui Fortunæ est filius,
Auertit oculos: causam quæsiuit Pater.
Odi, inquit, illum quia malis amicus est,
Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

FABVLA XII.

Vtilius homini nihil est quam recte loqui.
Probanda cunctis est quidem sententia:
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
¶ Quum se ferarum regem fecisset Leo,
Et æquitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta iura reddebat fide:

* * * *
* * * * *
* * * *

FABVLA XIII.

* *
* * *
* * *

Poſtquam lauare cepit penitentia,
Affixionẽ veretri linguam mulieris:
Adfinitatem traxit inde obſcenitas.

FABVLA XIV.

Rogault alter, tribadas & molles mares
Quæ ratio procreaſſet: expoſuit Senex.
¶ Idem Prometheus auctor vulgi fictilis
Qui ſimul offendit ad fortunam, frangitur,
Naturæ partes veſte quas celat pudor
Quum ſeparatim toto finxiſſet die,
Aptare mox vt poſſet corporibus ſuis;
Ad cænam eſt inuitatus ſubito a Libero,
Vbi inrigatus multo venas nectare,
Sero domum eſt reuerſus titubanti pede.
Tum ſemiſomno corde, & errore ebrio,
Adplicuit virginale generi maſculo,
Et maſculina membra adplicuit feminis.
Ita nunc libido prauo fruitur gaudio.

FABVLA XV.

Barbam capellæ quum impetraſſent ab Ioue,
Hirci mœrentes indignari ceperant,
Quod dignitatem feminæ æquaſſent ſuam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et vſurpare veſtri ornatum muneris,
Pares dum non ſint veſtræ fortitudinis.
¶ Hoc argumentum monet vt ſuſtineas tibi
Habitu eſſe ſimiles, qui ſint virtute impares.

FABVLA XVI.

Quum de fortunis quidam quereretur suis,
AEsopus finxit consolandi gratia.
¶ Vexata sæuis naui tempestatibus
Inter vectorum lacrymas & mortis metum,
Faciem ad serenam subito mutatur dies.
Ferri secundis tuta cepit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periculo tum gubernator sophus;
Parce gaudere oportet. & sensim queri:
Totam quia vitam miscet dolor & gaudium.

FABVLA XVII.

Canes, legatos olim misere ad Iouem,
Melioris vitæ tempus oratum suæ,
Vti se abriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi consparsum quod panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti sunt legati non celeri pede.
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent: vix tandem inuenit
Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.
Tum vero vultum magni vt viderunt Iouis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulsi vero fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Iupiter.
Mirati sibi legatos non reuertier,
Turpe æstimantes aliquid commissum a suis,
Post aliquod tempus alios adscribi iubent.
Rumor legatos superiores prodidit:
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum, sed multo, replent,

Mandata dant, legati mittuntur, statim
Adeunt: rogantes aditum, continuo impetrant.
Consedit genitor tum Deorum maximus,
Quassatque fulmen: tremere cepere omnia:
Canes, confusus subito quod fuerat fragor,
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes vindicandam iniuriam.
Sic est locutus ante pœnam Iupiter:
Non est legatos regis non dimittere,
Nec est difficile pœnas culpæ imponere:
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.
Sed hoc feretis pro iudicio præmium:
Illi autem qui miserunt vos tam futiles
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos expectant & posteri:
Nouumque venire qui videt, cultum olfacit.

FABVLA XVIII.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
¶ Gelu rigentem quidam Colubram sustulit
Sinuque fouit contra se ipse misericors.
Namque vt refecta est, nocuit hominem protinus.
Hanc alia quum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

FABVLA XIX.

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,
Peruenit ad Draconis speluncam vltimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.

Hunc ſimul aſpexit; Oro vt imprudentiæ
Des primum veniam; deinde, ſi pulcre vides
Quam non conueniens aurum ſit vitæ meæ,
Reſpondeas clementer, quem fructum capis
Hoc ex labore, quodue tantum eſt præmium,
Vt careas ſomno & æuum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille: verum hoc a ſummo mihi
Ioue adtributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec vlli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo iraſcatis, libere ſi dixero:
Diis eſt iratis natus qui eſt ſimilis tibi.
Abiturus illuc quo priores abierunt,
Quid mente cæca miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico, auare, gaudium heredis tui,
Qui ture ſuperos, ipſum te fraudas cibo,
Qui triſtis audis muſicum citharæ ſonum,
Quem tibiarum macerat iocunditas,
Obſoniorum pretia cui gemitum exprimunt:
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas ſordido periurio,
Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

XX.

Quid iudicare cogitur liuor modo.
Licet diſſimulet, pulcre tamen intellego.
Quicquid putabit eſſe dignum memoriæ,
Æſopi dicet: ſi quid minus adriſerit,
A me contendet fictum quouis pignore.
Quem volo refelli iam nunc reſponſo meo:
Siue hoc ineptum, ſiue laudandum eſt opus,
Inuenit ille, noſtra perfecit manus.
Sed exequamur ceptum propoſiti ordinem.

FABVLA XXI.

Homo doctus in se semper diuitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circumire cepit vrbes Asiæ nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagio.
(Erat autem natus, vt aiunt, in Ceo insula)
Ascendit nauem, quam tempestas horrida
Simul & vetustas medio dissoluit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt
Subsidium vitæ: quidam curiosior,
Simonide, tu ex opibus nihil sumis tuis:
Mecum, inquit, mea sunt cuncta tunc pauci enatant,
Quia plures onere degrauati perierant.
Prædones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,
Nudos relinquunt, forte Clazomenæ prope,
Antiqua fuit vrbs quam petierunt naufragi.
Hîc literarum quidam studio deditus,
Simonidis, qui sæpe versus legerat,
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum, cupidissime
Ad se recepit, veste, nummis, familia
Hominem exornauit: ceteri tabulam suam
Portant, rogantes victum, quos casu obuius
Simonides, vt vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta, vos quod rapuistis, perijt.

FABVLA XXII.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima expectatio:

At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi
Qui magna quum minaris, extricas nihil.

FABVLA XXIII.

Formica & Musca contendebant acriter,
Quæ pluris esset: Musca sic cepit prior.
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Vbi immolatur, exta prægusto Deûm,
Moror inter aras, templa perlustro omnia,
In capite regis sedeo, quum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula:
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit rustica?
Est gloriosus sane conuictus Deûm,
Sed illi qui inuitatur, non qui inuisus est.
Reges commemoras & matronarum oscula:
Ego granum in hiemem quum studiose congero,
Te circa murum video pasci stercore:
Aras frequentas, nempe abigeris quo venis:
Nihil laboras, ideo quum opus est nil habes:
Superba iactas tegere quod debet pudor.
AEstate me lacessis; quum bruma est, siles:
Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profecto rettudi superbiam.
¶ Fabella talis hominum discernit notas
Eorum qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

FABVLA XXIV.

Quantum valerent inter homines literæ
Dixi superius: quantus nunc illis honos

A superis sit tributus, tradam memoriæ.
Simonides idem ille de quo retttuli,
Victoris laudem cuidam pyctæ vt scriberet
Certo condixit pretio. secretum petit:
Exigua quum frenaret materia impetum,
Vsus poëtæ vt moris est licentia,
Atque interposuit gemina Ledæ sidera,
Auctoritatem similis referens gloriæ.
Opus adprobauit: sed mercedis tertiam
Accepit partem; quum reliquam posceret;
Illi, inquit, reddent quorum sunt laudes duæ.
Verum ne irate dimissum te sentiam,
Ad cœnam mihi promitte; cognatos volo
Hodie inuitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamuis & dolens iniuria,
Ne male dimissam gratiam corrumperet,
Promisit, rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis conuiuium,
Magno apparatu læte resonabat domus;
Repente quum duo iuuenes sparsi puluere,
Sudore multo diffluentes corpora,
Humanam supra formam, cuidam seruulo
Mandant, vt ad se prouocet Simonidem:
Illius interesse ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Vnum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ subito oppressit ceteros;
Nec vlli iuuenes sunt reperti ad ianuam.
Vt est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt, numinum præsentiam
Vati dedisse vitam, mercedis loco.

XXV.

Supersunt mihi quæ scribam, sed parco sciens:
Primum, esse ne tibi videar molestior,
Destringit quem multarum rerum varietas:

Dein si quis eadem forte conari velit,
Habere vt possit aliquid operis residui:
Quamuis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber vt desit, non fabro labor.
Breuitatis nostræ præmium vt reddas, peto
Quod es pollicitus; exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est quotidie:
Et hoc minus veniet ad me muneris
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, vsus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius cepero.
Languentis æui dum sunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuuare bonitas nitetur tua,
Quum iam desierit esse beneficium vtile,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admonere tibi preces existima,
Procliuis vltro quum sit misericordia.
Sæpe impetrauit veniam confessus reus,
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuæ prius sunt partes, aliorum dein;
Similique gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac iudicio tuo.
Excedit animus quem proposuit terminum,
Sed difficulter continetur spiritus
Integritatis qui sinceræ conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requires, apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebeio periculum est,
Dum sanitas constabit, pulcre meminero.

LIB. IV. EXPLICIT.

INCIPIT

INCIPIT LIBER V.

Qvum destinassem operis habere terminũ,
In hoc vt aliis esset materiæ satis,
Consilium tacito corde damnaui meum.
Nam si quis talis etiam est tituli *artifex*
Quo pacto diuinabit quidnam omiserim,
Vt illum ipsum cupiam famæ tradere:
Sua cuique quum sit animi cogitatio
Colorque prior. ergo non leuitas mihi
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis
Quas Æsopias non Æsopi nomino,
Quasi paucas ostenderit, ego plures dissero,
Vsus vetusto genere, sed rebus nouis,
Quartum libellum dum tu varie perleges,
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa iudicatis memoria.
In litterarum plausum ire desidero.

FABVLA I.

Æsopi nomen sicubi interposuero
Cui reddidi iampridem quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Vt quidam artifices nostro faciunt seculo

Qui pretium operibus maius inueniunt, nouo
Si marmori adſcripſerunt Praxitelen ſuo
Myronem argento. plus vetuſtis nam fauet
Inuidia mordax, quam bonis præſentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror.
¶ Demetrius qui dictus eſt Phalereus,
Athenas occupauit imperio improbo.
Vt mos eſt vulgi, paſſim & certatim ruunt,
Feliciter, ſubclamant ipſi principes:
Illam oſculantur, qua ſunt oppreſſi, manum,
Tacite gementes triſtem fortunæ vicem.
Quinetiam reſides & ſequentes otium
Ne defuiſſe noceat, repetunt vltimi;
In quîs Menander nobilis comœdiis
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Vnguento delibutus, veſtitu adfluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.
Hunc vbi tyrannus vidit extremo agmine:
Quinam cinædus ille in conſpectu meo
Audet venire? reſponderunt proximi:
Hic eſt Menander ſcriptor. mutatus ſtatim

* * * * *

FABVLA II.

* * * *

Et vindicauit ſeſe forti dextera.
Latrone occiſo timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein reiecta penula:
Cedo, inquit, illum; iam curabo ſentiat
Quos adtentarit. tunc qui depugnauerat:
Vellem iſtis verbis ſaltem adiuuiſſes modo,
Conſtantior fuiſſem vera exiſtimans:
Nunc conde ferrum & linguam pariter futilem

Vt possis alios ignorantes fallere.
Ego qui sum expertus quantis fugias viribus,
Scio quod virtuti non sit credendum tuæ.
¶ Illi adsignari debet hæc narratio
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

FABVLA III.

Calui momordit Musca nudatum caput;
Quam opprimere captans, alapam sibi duxit grauem;
Tunc illa irridens: Punctum volucris paruulæ,
Voluisti morte vlcisci: quid facies tibi,
Iniuriæ qui addideris contumeliam?
Respondit, Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem lædendi scio:
Sed te contemti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare, vel maiore incommodo.
¶ Hoc argumentum veniam mage dari docet,
Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens:
Illum esse quauis pœna dignum judico.

FABVLA IIII.

Quidam immolasset verrem quũ sancto Herculi
Cui pro salute votum debebat sua,
Asello iussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille, sic locutus est:
Tuum libenter prorsus adpeterem cibum
Nisi qui nutritus illo est, iugulatus foret.
¶ Huius respectu fabulæ deterritus
Periculosum semper vitaui lucrum.
Sed dicis: Qui rapuere diuitias, habent.
Numeremus, agedum, qui deprensi perierint.

Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

FABVLA V.

Prauo fauore labi mortales solent,
Et pro iudicio dum stant erroris sui,
Ad pœnitendum rebus manifestis agi.
¶ Facturus ludos quidam diues nobilis,
Proposito cunctos inuitauit præmio,
Quam quisque posset vt nouitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina,
Quos inter Scurra notus vrbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Dispersus rumor ciuitatem concitat:
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
In scena vero postquam solus constitit,
Sine apparatu, nullis adiutoribus,
Silentium ipsa fecit expectatio.
Ille in sinum repente demisit caput,
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum vt subesse pallio contenderent,
Et excuti iuberent, quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Rusticus, Non mehercule
Me vincet, inquit: & statim professus est
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba maior: iam fauor mentes tenet,
Et derisuri, non spectaturi sedent.
Vterque prodit. Scurra digrunnit prior,
Mouetque plausus & clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet,
Sed in priore quia nil compererant, latens,
Peruellit aurem vero quem celauerat,

Et cùm dolore vocem naturæ exprimit.
Adclamat populus: Scurram multo similius
Imitatum, & cogit Rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu
Turpemque aperto pignore errorem probans,
En hic declarat quales sitis iudices.
Adhuc supersunt multa quæ possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas.
Sed temperatæ suaues sunt argutiæ:
Immodicæ offendunt. quare, vir sanctissime
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certe breuitatem adproba,
Quæ commendari tanto debet iustius,
Quanto poëtæ sunt molesti validius.

FABVLA VI.

Inuenit Caluus forte in triuio pectinem;
Accessit alter æque defectus pilis,
Heia, inquit, Est commune quodcunque est lucri.
Ostendit ille prædam, & adiecit simul,
Superûm voluntas fauit, sed fato inuido:
Carbonem, vt aiunt, pro thesauro inuenimus.
¶ Quem spes delusit, huic querella conuenit.

FABVLA VII.

Vbi vanus animus aura captus friuola
Arripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta leuitas ducitur.
¶ Princeps Tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare.
Is forte ludis, non satis memini quibus,
Dum pegma rapitur, concidit casu graui

Necopinans, & sinistram fregit tibiam,
Duas quum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus. & multum gemens,
Domum refertur. aliquot menses transeunt
Ad sanitatem dum venit curatio.
Vt spectatorum mos est, & lepidum genus,
Desiderari oepit, cuius flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat Princeps ingredier: eum
Adducit pretio precibus, vt tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul aduenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum;
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulæo misso, deuolutis tonitrubus,
Dij sunt locuti more translaticio.
Chorus reducto tunc & notum canticum
Imposuit, cuius hæc fuit sententia:
Lætare incolumis Roma saluo Principe.
In plausus consurrectum est, iactat basia
Tibicen, gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intellegit;
Magnoque risu canticum repeti iubet.
Iteratur illud. homo meus se in pulpito
Totum prosternit, plaudit inludens eques;
Rogare populus hunc coronam existimat.
Vt vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure niuea fascia,
Niueisque tunicis, niueis etiam calceis,
Superbiens honore diuinæ domus,
Ab vniuersis capite est protrusus foras.

FABVLA VIII.

Cursu volucri pendens, in nouacula,
Caluus, comosa fronte, nudo corpore,

Quem si occuparis, teneas, elapsum semel
Non ipse possit Iupiter reprehendere.
Occasionem rerum significat breuem.
¶ Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem temporis.

FABVLA IX.

Angusto in aditu Taurus luctans cornibus;
Quum vix intrare posset ad præsepia,
Monstrabat Vitulus quo se pacto plecteret:
Tace, inquit, ante hoc noui quam tu natus es.
¶ Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

FABVLA X.

Aduersus omnes fortis veloces feras
Canis quum domino semper fecisset satis,
Languere cepit annis ingrauantibus.
Aliquando obiectus hispidi pugnæ suis,
Adripuit aurem: sed cariosis dentibus
Prædam dimisit. hic tum Venator dolens,
Canem obiurgabat. cui senex contra latrans:
Non te destituit animus, sed vires meæ.
Quod fuimus laudas, iam damnas quod non sumus.
¶ Hoc cur, Philete, scripserim pulcre vides.

PHAEDRI AVGVSTI LIBERTI
LIBER QVINTVS EXPLICIT
FELICITER.

AD PHAEDRI FABVLAS

NOTAE.

AD PAGINAM I.

AESOPVS AVCTOR] Hoc tamen in dubium vocat Fabius lib. v. *Illæ quoque fabulæ, quæ etiamsi ab Aesopo originem non acceperunt, (nam videtur earum primus auctor Hesiodus) nomine tamen Aesopi maxime celebrantur, ducere animos solent.* Theon quoque Sophista Homerum & Hesiodum atque etiam Archilochum, Æsopo vetustiores, operibus suis fabulas inseruisse obseruat. verum id fuisse aliud fabularum genus ac longe diuersum ab Æsopeis fabulis nemo non videt; atque vt recte obseruat Philostratus in Imag. φοιτῶσιν οἱ μῦθοι παρὰ τὸν Αἴσωπον, ἀγαπῶντες αὐτόν, ὅτι αὐτῶν ἐπιμελεῖται. ἐμέλησε μὲν

γὰρ καὶ Ὁμήρῳ μῦθοι καὶ Ἡσιόδῳ· ἔτι δὲ καὶ Ἀρχιλόχῳ πρὸς Λυκάμβην, ἀλλ' Αἰσώπῳ πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐκμεμύθωται.

DVPLEX LIBELLI DOS EST] Sic habet Remensis bibliothecæ codex. Antea edideram ex Pithœano, *Duplex libellis os.* vt esset duplex os, quasi duplex persona: quæ scilicet risum moueret, & quæ consilio vitam moneret. Sic enim Maximus Tyrius, or. xxx. ἐπαινῶ, inquit, τὸν μῦθον τῆς χάριτος καὶ τῆς πρὸς τ' ἀληθὲς ὁδοῦ. atque hic demum est Horatij mos, vt misceat vtile dulci. Sed nunc magis mihi placet illa Remensis lectio.

QVOD RISVM MOVET] Gellius lib. II. cap. *Æsopus ille e Phrygia fabulator, haud immerito sapiens existimatus est, quum quæ vtilia monitu suasuque erant, non seuere, non imperiose præcepit & censuit, vt Philosophis mos est: sed festiuos delectabilesque apologos commentus, res salubriter ac prospicienter animaduersas, in mentes animosque hominum, cum audiendi quadam illecebra induxit.*

QVOD ARBORES LOQVANTVR] In C. Epidij commentarijs arbores locutas notauit Plinius, lib. XVII. cap. 25. Sed hoc etiam inter ostenta prodigiosum. in hac vero fabularum philosophia, non vtique est absurdum. Auienus: *Loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere fecimus*, &c. Isidorus: *Æsopiæ fabulæ sunt, quum animalia muta inter se sermocinasse finguntur, vel quæ animam non habent, vt vrbes, arbores, montes, petræ, flumina.* Certe in Auieni fabulis Quercus & Arundo loquuntur, & apud Camerarium quoque nonnullę arbores quasi sermones miscent: at heic apud Phædrum, non item. Dicendum igitur arborum fabellas intercidisse. Iis autem in philosophia sua vsum fuisse Æsopum, docet Max. Tyr. or. XXXIII. *Αἰσώπῳ τῷ Φρυγὶ πεποίηνται λόγοι διὰ τῆς θηρίων τῆς ξυνουσίας· διαλέγεται δ' αὐτῷ καὶ τὰ δένδρα, καὶ οἱ ἰχθύες, ἄλλο ἄλλα, καὶ ἀνθρώποις ἀναμίξ.* Est & in libro Iudicum, cap. IX. arborum inter

ſe ſe diceptantium ſuper eligendo rege parabola. & Paralip. II. cap. 25. Carduus filiæ Cedri nuptias filio ſuo expetit.

NON TANTVM FERÆ] Æſopei philoſophi moribus hominum notandis ferarum quaſi perſonas inducunt, quibus a natura indita ſunt vitia & virtutes quædam. ſic hominem rapacem, lupum eſſe volunt; ſimplicem & minime malum, ouem aut columbam; aſtutum, vulpem; fortem aut generoſum, leonem. Deque hoc philoſophandi modo eleganter Artemidorus lib. IV. Oneiroc. χρὴ δέ γε, inquit, καὶ τὰ ἤθη τῶν ζώων ἀντιπαραβάλλειν τοῖς ἤθεσι τοῖς ἀνθρωπίνοις. Feſtiue autem & lepide Philoſtratus: præcipuas partes in Æſopia ſcena tribui Vulpeculæ ait, quemadmodum in Comœdia Dauo: κορυφαία δὲ τοῦ χοροῦ ἡ ἀλώπηξ γέγραπται. χρῆται γὰρ αὐτῇ ὁ Αἴσωπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ.

LOCARI NOS MEMINERIT FABVLIS] Sic Martialis, *iocos Phæ-*

dri. Ipse Phædrus lib. III.

Calumniamque fictis elusit iocis.

Et lib. IV.

Et hoc iocorum legere fastidis genus.

C. Melissus Grammaticus libros inscripsit Ineptiarum & Iocorum, vt tradit Suetonius lib. de illustr. Gram.

LVPVS ET AGNVS] Homerus Iliad. x.

Οὐδέ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.

Horat. Epod. III.

Lupis & Agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est.

FAVCE IMPROBA] Sic habet vetustissimus codex Remensis. Ediderat Pithœus, *Face improba*: ijsque verbis Lupum iratum significari monueram. quo modo Lucretius lib. III. dixit:

Nec nimis iraï fax vnquam subdita percit
Fumida. & Persius Sat. III.
Nunc face supposita feruescit sanguis, &
ira

Scintillant oculi. Nullum autem est animal tam horrendum, tamque perniciosum natura, vt non appareat in illo, si ira inuasit, nouæ feritatis accessio, ait Seneca. Verior tamen mihi videtur scriptura Remensis.

LATRO INCITATVS] Lupum latronem vocat, vt infra de eodem Lupo,

Rapere atq; abire semper adsueuit Lupus.

Homines rapaces, crudeles, & immodestas vsuras exigentes, Lupi nomine significantur: Martialis epigrammate vltimo lib. IX. Et Apuleius lib. I. Lupi cuiusdam meminit, negotiatoris magnarij. Deque templo Iouis Lycæi siue Lupini in Arcadia, Plato lib. VIII. de repub. vbi homini qui humana viscera degustauerit necesse est esse Lupo. De Lycaone, Ouid.

¶ AD PAG. II. HINC CONSPIRATIS FACTIONVM PARTIBVS] Aliam occupatæ a Pisistrato tyrannidis viam explicat Herodoti Musa prima. Dux autem illarum partium fuisse videtur Solon. Sic enim

Laertius : ἤξας γὰρ Σόλων εἰς τινα ἐκκλησίαν μετὰ θώρακος καὶ ἀσπίδος προεῖπεν αὐτοῖς τὴν ἐπίθεσιν τοῦ Πεισιστράτου.

ARCEM TYRANNVS OCCVPAT] Arx proprie tyranni ſedes, vt monet Aſconius in Diuin. & obſeruare eſt paſſim apud Rhetores. Iuuenalis Sat. x. ---*Nullus ephebum*

Deformem ſæua caſtrauit in arce tyrannus.

NON QVIA CRVDELIS ILLE] Solon epiſtola ad Piſiſtratum : ἐ σε φημὶ πάντων τυράννων εἶναι βέλτιστον. Sic & Miltiadem Æmilius Probus tyrannum appellatum fuiſſe ait, ſed iuſtum.

SED QVONIAM GRAVE OMNINO INSVETIS ONVS] Quam grauiter & iniquo animo ſeruirent Athenienſes, indicat Epimenidis epiſtola ad Solonem apud Laërtium : μεμναμένοι, inquit, τᾶς Σόλωνος μανύσιος ἀλγίστᾳ πίδας αἰσχύνας, οὐδὲ αἰέξοντι τυραννούμενοι.

RANAE VAGANTES] Hanc Phædri fabulam legiſſe videtur, qui hæc adnotauit ad illud Virgilij, Et vete-

rem in limo ranæ cecinere querelam. *Æsopus sequendus est, qui dicit hoc: Quum Iuppiter omnibus animalibus reges daret, & ranis, ni fallor, colendum breuissimum tignum dedisset, illæ questæ & aspernatæ sunt eum: & tunc eis hydrum iratus dedit, qui vescitur ranis.* Quæ tamen Seruiana esse vix puto. Ceterum huic consimiles apologos narrat Aristoteles Rhet. II.

PARVVM TIGILLVM.] Sic ipse initio lib. IV. Paruum libellum. Sic Græci μικρὸν ἐγὼ ἀνθρώπιον.

MISSVM QVOD SVBITO VADIS MOTV SONOQ.] Non spernenda codicis Remensis scriptura: *Missum quod subito vadi Motu sonoque.*

TVM MISIT ILLIS HYDRVM] Notat Phædrus sæuum & ferum C. Caligulæ ingenium, quod parens sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, vt aliquotiens prædicaret, exitio suo omniumque Caium viuere; & se natricem, serpentis id genus, populo Romano, Phaëthontem orbi terrarum educare: vt tradit Sueto-

nius. Hydrus, natrix, χέρσυδρος. Vetus gloss. ὕδρος, ὄφις aquatilis. Nec tralatitie Iupiter ranis petulantioribus hydrum regem misit: est enim ranis maximo terrori. Ælianus XII. 15. βάτραχος ὕδρον μισεῖ καὶ δέδοικεν ἰσχυρῶς.

DENTE ASPERO] Serrato, καρχαρόδημα. Ælian. XVI. 8. Plinius XIX. *In orbe terrarum*, inquit, *pulcerrimum anguium genus est, quod in aqua viuit; hydri vocantur, nullis serpentium inferiores veneno.*

¶ AD PAG. III. HOC SVSTINETE, MAIVS NE VENIAT MALVM] Ideo senectutis vltimæ quædam, non solum forti, sed etiam vrbana libertate, Syracusanis omnibus Dionysij tyranni exitum, propter nimiam morum acerbitatem & intolerabilia onera votis expetentibus, sola quotidie matutino tempore Deos, vt incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Valer. Max. lib. v. 2.

TVMENS INANI GRACCVLVS SVPERBIA] De Cornicula Horatius:

...moueat cornicula risum,

Furtiuis nudata coloribus.

SEQ. EXORNAVIT] Theon: Συναρμόττων σοφῶς ἄλλο ἐπ' ἄλλῳ, καὶ χρῆμα ποικιλώτερον γίγνεται. Theophylactus Simocata in Epist. τὴν τῆς φύσεως δημιουργίαν ἀνόητυσεν, ἀλλοτρίῳ κόσμῳ τὴν ἑαυτοῦ καλλωπίζων εὐπρέπειαν.

TRISTEM SVSTINVIT NOTAM] Theon: ἐγυμνοῦτο τὸ κολοιοῦ τὸ εἶδος. Theophylactus: & γίγνεται αὖθις ὁ κολοιὸς κολοιός.

PER FLVMEN] Ignaius Diac. ποταμοῦ πλησίον. Aphthonius: παρ' αὐτὴν δὴ τὴν ὄχθην τινὸς ποταμοῦ.

LYMPHARVM IN SPECVLO] Lucretius IV.

Postremo in speculis, in aqua splendoreque in omni,
Quæcumque apparent nobis simulacra.

¶ AD PAG. IV. SOCII FVERE CVM LEONE] Hanc de Leonina societate fabulam auctor Glossarum in Institut. §. *Nam & ita coiri.* De Societate, Auieno tribuit. Ioannes Faber ad eum locum, quis fuerit Auienus, nescire se fatetur. Neque sane in

Auieno hæc fabula legitur.

PLVS VALEO] Valentior sum. Sic Valentissima bestia Ciceroni.

VXOREM QVONDAM SOL QVVM VELLET DVCERE] Lepide in hanc Phædri sententiam de Lunæ quoque nuptijs Camerarius.

CONVICIO] Coaxatione; collatione vocum & quasi conuocio, vt loquitur Labeo, l. 15. de iniur. Veteres glossæ: *καταβόησις, Conuicium. καταβοῶ, Conuicior.*

QVIDNAM FVTVRVM EST SI CREARIT LIBEROS] Ignatius: τίς, εἴγε πικρώσει, τῶν βαστάσει; Querolus: *Vicinus mihi malus, &c.* Deinde: *Conserua istum quæso, Lar familiaris, ex voto meo, Tuere quem præstitisti, ne forte nascantur duo.* Maxime autem ad hanc Ranarum fabulam allusisse videtur osor ille mulierum in Libanij Declamatione de muliebri loquacitate: Λογίζομαι γὰρ ὡς ἔσται τὴν γλῶτταν ἐπιτεξ γινομένη, ὡς ὠδίνουσα, ὡς τεκοῦσα. εἰ δὲ καὶ πολλά μοι τέκοι, καὶ ταῦτα αὐτῇ παραπλήσια λαλοῦντα ἧς ἐπὶ, πῶς βιώσομαι μέσος εἰλημμένος

πιοῦντου χροῦ; Huc etiam pertinet quod ait Iuuenalis de Iulia, quæ abortiuis fœcundam soluebat vuluam, atq; offas patruo simileis effundebat. Sat. II.

PERSONAM TRAGICAM] Persona in scenicorum artificum supellectile non est σωμάτιον vel oscillum, sed totius oris & capitis cooperimentum, vt ex Fabio Basso probauit Gellius lib. v. cap. 7.

SENSVM COMMVNEM ABSTVLIT] Horatius Serm. I.

Communi sensu plane caret. Iuuenalis, Sat. VIII.

Rarus enim ferme sensus communis in illa Fortuna.

Sic apud Tertullianum sæpe occurrit, *Sapere de communibus sensibus: Sapere de publico sensu.*

¶ AD PAG. V. OS DEVORATVM FAVCE QVVM HÆRERET LVPI] Longe gratioris animi exemplum suggerit Leo ille, de quo Plinius lib. VIII. cap. 16. *Os morsu auidiore inhæserat dentibus, cruciabatque inedia,*

tum pœna in ipsis eius telis, suspectantem, ac velut mutis precibus orantem: multoque diutius miraculo quam metu cessatum est. digressus tandem euellit præbenti & quam maxime opus esset accommodanti. traduntque, quamdiu nauis ea in littore stetit, retulisse gratiam, venatus aggerendo.

FAVCE LVPI] Sic supra, ex codice Remensi,

---tunc fauce improba Latro incitatus.

PERICVLOSAM FECIT MEDICINAM LVPO] Simile quidpiã de Crocodilo & Trochilo narrant Plinius lib. IX. Solin. cap. 30. Apuleius in Apol.

ORE QVÆ NOST. CAPVT INCOLVME ABSTVLERIS] Ælianus lib. III. cap. II. de Trochilo & Crocodilo: τὸ μηδὲν ἀδικοῦσα τὸν τρόχιλον λογίζεται μισθόν. Manuel Phile.

Καὶ τὴν γε κεφαλὴν ἀντὶ μισθοῦ λαμβάνει
Μηδὲν κακὸν παθοῦσαν ἐκ τοῦ θηρίου.

Eiusmodi est quod latrones iactant beneficium; ijs se vitam dedisse quibus non ademerint.

NECOPINVM] Veteres glossæ: *Necopinanter*, ἀπροσδοκήτως.

MORTIS IN SOLATIO] Seneca Naturalium Quæst. VI. *Nullum est maius solatium mortis, quam ipsa mortalitas.* Idem paulo post: *Non quia fas est optare publicam cladem, sed quia ingens mortis solatium est terram quandoque videre mortalem.* Libanius, De loquacit. mul. τὸ κακὸν δὲ τοῦτο πέρσιον μὲν μόνῳ μοι συμβέβηκε, ὅτι οὐκ ἔτι πρὸς παράδειγμα βλέψαντι λαβεῖν παραμύθιον τῆς ψυχῆς.

¶ AD PAG. VI. TV NON VIDERIS PERDIDISSE QVOD PETIS] Persimilis exstat Diogenis sententia apud Laërtium. Δυοῖν ποτὲ νομικοῖν ἀκούσας, τοὺς δύο κατέκρινεν, εἰπὼν, τὸν μὲν κεκλοφέναι, τὸν δὲ μὴ ἀπολωλεκέναι.

HIC AVRICVLAS CLAMORE SVBITO T.T.V.] Non displicebit, si quis ope veterum exemplarium scribere malit:

---heic auritulus
Clamorem subitum tollit totis viribus.

Asellus auritus Ouidio dicitur Eleg. 7. lib. II. Amor. Festus: *Auritus, a magnis auribus, vt sunt asinorum.* Arist. Physiogn. οἱ τὰ ὦτα μικρὰ ἔχοντες, πιθηκώδεις.

οἱ ἢ μεγάλα, ὀνώδης.

TVRBAT BESTIAS] Auienus:

Mitibus ille feris communia pabula calcans,
Turbabat placidos per sua rura boues.

NOVO MIRACVLO] Auienus:

Ne detracta grauem faciant miracula risum.

Miraculum erat reliquis feris Asinus; quia velatus alieno & incongruo tegmine, ideo illis ignotus. *Mirari veteres dicebant nescire*, inquit Donatus, *& mater admirationis ignorantia*. Carsilis: ἐπηρώτησαν τί περατωδέστερον δοκεῖ τῷ Φιλοσόφῳ· ὁ δ' εἶπεν· ὁ οὐδεὶς ἐπίστα(ται).

ADFICIVNTVR HORRENDO IMP.] Verior mihi videtur lectio in exemplari Danielis: *Adfliguntur horrendo impetu.*

SIMILI FVISSEM IN METV] Exemplar Danielis: *Simili fugissem metu.*

RAMOSA MIRANS LAVDAT CORNVA] Dositheus Magister: ὁ μάλιστα μὲν ἐπῄνει τὴν φύσιν τῶν κεράτων ἀνατεταμένων εἰς πολὺ ἀέρα.

¶ AD PAG. VII. VT ILLA MIHI PROFVERINT] Exemplar Danielis: *Vtilia mihi quam fuerint.*

FERE DAT POENAS TVR. POENIT.] Non abs re quibusdam rectius videbitur, quod exemplar Danielis suggerit:

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
Sera dant pœnas turpeis pœnitentia.

QVVM DE FENESTRA CORVVS] Huc pertinet Horatianum illud, lib. II. Epist.

Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus inuidiæque.

Eandem vero fabulam sic paucis narrat Apuleius lib. De Deo Socr. *Coruus, vt se vocalem præberet, quod solum deesse tantæ eius formæ vulpes simulauerat, crocitare adortus, præda, quam ore gestabat, seductricem compotiuit.*

RAPTVM CASEVM] Apuleius *raptam offulam.*

DVM VVLT VOCEM OS-

TENDERE] Apuleius: *dum vult clarissime clangere*.

VERBOSIS STROPHIS] Veteres Glossæ: Συνεστραμμένη ὁμιλία, *Tortiloquium*. Martialis III.

Nihil strophartum est, iam salarium dandum est.

& lib. X.

--- iam stropha talis abit.

Glossæ mss. Strophas exponunt, ἀπὸ πλοκίας.

¶ AD PAG. VIII. CVI CALCEANDOS NEMO COMMISIT PEDES] Marcus Cato apud Gellium lib.. cap. 15. de quodam huiusmodi nebulone & plano: *Ita est cupidus orationis*, inquit, *vt conducat qui auscultet. itaque auditis, non auscultatis tanquam pharmacopolam. nam eius verba audiundiuntur: verum ei se nemo committit, si æger est.* Scribonius Largus ad C. Iul. Callistum: *Raro enim aliquis*, inquit, *priusquam se suosque credat medico, diligenter de eo iudicat: quum interim nemo ne imaginem quidem suam committat pingendam, nisi probato prius artifici.* Deinde subiungit:

subiungit: *Quia sunt quidam qui pluris omnia quam se ipsos aestimant.*

¶ AD PAG. IX. COMMENDASSE] Exemplar Danielis, *commodasse.*

NEMO LIBENTER RECOLIT QVI LÆSIT LOCVM] Seneca Epist. LXIII. *Nemo libenter ad id redit, quod non sine tormento cogitaturus est.* Vnde & nebulo ille in Petronij Satyrico, *In platanona*, inquit, *descendi: etiamsi locum inauspicatum timebam.* At est valde prudens Nasonis consilium lib. II. de Remed. Am.

Et loca saepe nocent, fugito loca conscia vestri
Concubitus, causas illa doloris habent.

Phalaris, epistola ad Teucrum: φίλτατα γὰρ τὰ χωρία τοῖς νυμφαγωγηθεῖσιν, ἔνθα αὖ τὰ πρῶτα θεσμὰ ἀποθῶνται παρθενίας.

INSTANTE PARTV] Plutarchus in Præcept. coniug. ἡ μὲν γὰρ ὠδίνουσα καὶ δυσφοροῦσα πρὸς τοὺς κατακλίνοντας αὐτὴν ἔλεγε, πῶς δ' ἂν ἡ κλίνη ταῦτα θεραπεύσειεν, οἷς ἐπὶ τῆς κλίνης περιέπεσεν.

FLEBILES GEMITVS CIENS] Venus apud Coluthum:

--φιλότητος ἐμῆς ἐμὸν οἶστρον ἐλῦσαι
Πολλάκις ὠδίνουσι, καὶ οὐ θνήσκουσι γυναῖκες.

QVO CONCEPTVM EST INITIO] Ludit Phædrus in ambiguo verbi ſenſu. Veteres Gloſſæ : Ἀνδρολημψία, *Conceptio.* Aliæ : Συλλαβεῖν, ἐπὶ γυναικός, *Concepit.*

CANIS PARTVRIENS] Hanc fabulam paullo aliter narrat Commanus Segoregiorum rex, apud Iuſtinum lib. XLIII. *Canem aliquando partu grauidam locum a paſtore precario petijſſe, in quo pareret. quo obtento, iterato petijſſe, vt ſibi educare eodem loco catulos liceret: ad poſtremum, adultis catulis fultam domeſtico præſidio, proprietatem loci ſibi vindicaſſe.*

¶ AD PAG. X.] CORIVM DEPRESSVM IN FLVVIO VIDERVNT CANES] Iuuen. Sat.

Vt canis a corio nunquam exterrebitur vncto.

DEFECTVS ANNIS] Ipſe Phædrus libro V. *Defectus pilis.*

CALCIBVS FRONTEM EXTERIT] Exemplar Danielis, *Extudit.*

TE NATVRÆ DEDECVS, QVOD FERRE COGOR, CERTE BIS VIDEOR MORI] Æsopus præceps mittendus: ὦ Ζεῦ, εἶπε, τί ποτέ σε ἠδίκησα, ὅτι οὕτω παρὰ λόγον ἀπόλλυμαι; καὶ ταῦτα οὔθ' ὑφ' ἵππων γενναίων, οὔθ' ἡμιόνων ἀγαθῶν, ἀλλ' ὀναρείων εὐτελεστάτων.

¶ AD PAG. XI. MOLESTIS MVRIB. PVRGO DOMVM] Palladius de Cato:

Mordaces morsu solitus consumere mures,
Inuisum & domibus perdere dente genus.

IMPROBAM LETO DEDIT] Artemidorus Oneirocr. III. Γαλῆ δὲ γυναῖκα σημαίνει πανοῦργον καὶ κακότροπον. Ælianus lib. IIII. Anim. Κακὸν θηρίον ἡ γαλῆ.

OBIECTO TENTANS ANCIBO POSSET CAPI] Seneca lib. IIII. de Ira: *Irasceris ergo catenario cani? & hic quum multum latrauit, obiecto cibo mansuescit.*

INOPS POTENTEM DVM VVLT IMITARI PERIT] Martialis lib. X.

Grandis vt exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

IN PRATO QVODAM RANA CONSP. BO.] Horatius Satir. lib. II. Sat. 3.

Absentis ranæ pullis vituli pede preßis,
Vnus vbi effugit, matri denarrat, vt ingens
Bellua cognatos eliserit. Illa rogare,
Quantáne? num tandem, se inflans, sic magna fuisset?
Maior dimidio. num tanto? quum magis, atque
Se magis inflaret: Nō si te rupei is, inquit,
Par eris.

¶ AD PAG. XII. CANES CVRRENTES BIBERE IN NILO FLVM.] Plinius lib. VIII. *Certum est*, inquit, *iuxta Nilum amnem canes currentes lambere, ne crocodilorum auiditati occasionem præbeant.*

LIQVIDAM IN PATENA POS. SORBITIONEM] Plutarchus I. Symposiac. ἔτνος πὶ λιπαρόν.

IN PATENA] Plutarchus, κατ᾽

λίθου πλατείας. Veteres Glossæ: Λοπάς, *Patella*, *Patena*.

QVAM NVLLO MODO GVSTARE ESVR. POT.] Plutarchus: ἐξέφυγε γὰρ ὑγρότητι τὸ ἔτνος τὴν λυπηρότητα τοῦ στόματος αὐτῆς.

PLENAM LAGONAM POSVIT.] Plutarchus: ἐν λαγυνίδι. Glossæ veteres: *Lagæna*, λαγύνιον. In vetusto marmore: M. VLPIO. AVG. LIB. PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG. A. POTIONE. ITEM. A. LAGVNA.

LAGONAE COLLVM] Sic Petronius: Amphorarum ceruices, dixit.

PEREGRINAM VOLVCREM] Pacatus, Peregrini aëris volucrem.

AD PAG. XIII. AB ARA RAPVIT ARDENTEM FACEM] Virgilius XII. Æn.

Obuius ambustũ torrem Corinæus ab ara
Corripit. Petronius,
---ab aris alius accendit faces.

DAMNO SANGVINIS] Damno pullorum. Sic paternus maternusque sanguis, Cic. Sanguinis pi-

gnus, Petron. Cognatus ſanguis, Martia. Longus ſanguis, Iuuen. Altus ſanguis, Hieronymo. Et pro ſanguine Caſſiodorus dixit venam, Variar. Epiſt. VI. *ſeculis ſuis producit nobilis vena primarios.*

REPVDIAT OFFICIVM] Salutationis, ſcilicet. Sic Sueton. Auguſt. *ne quem officij cauſa inquietaret.*

¶ AD PAG. XIV. PALVDIS IN SECRETA VENIET LATIBVLA] In paluſtribus locis ætatem plerumque degere iubebantur relegati. eiuſque moris exemplum eſt apud Herodotum in Euterpe; vbi de Pſammiticho, ἐς δὲ τὰ ἕλεα ἔδοξέ σφι διῶξαι ψιλώσαντας τὰ πλεῖστα τῆς δυνάμεως. & mox φεύγειν ἐς τὰ ἕλεα.

OBTERET DVRO PEDE] Horatius,

---ranæ pullis vituli pede preßis.

¶ AD PAG. XV. CORRIGATVR ERROR VT MORTALIVM] Dion Chryſoſtomus, or. LXXII. Αἴσωπος τοῦτον τὸν τρόπον ἐπειρᾶτο νουθετεῖν τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἐπιδεικνῦναι αὐτοῖς ἅττα ἁμαρτά-

λόγοι. Marius Victorinus in I. Rhetor. Cic. *Apologi sunt ex rebus humilibus compositæ quædam formæ ac species ad Diuendum; vt exstat illa de Mure & Leone.*

¶ AD PAG. XVI. A FEMINIS VTCVMQ. SPOLIARI VIROS] Martialis lib. IV.

Sic spoliatricem commendat fastus amicam. & lib. IV.

Dispensatorem fallax spoliabit amica.

Et est in hanc sententiam vetus Epigramma sub personna Epicteti:

Nuda Venus picta est, nudi pinguntur Amores.

Nam quos nuda rapit, nudos amittat oportet.

ÆTATIS MEDIÆ CVIDAM] Ignatius, μιξόπολιν. Sic Apuleius lib. v. quem rara canitie interspersum dixerat, eundem postea vocat, ætatis mediæ candenti canitie lucidum. Glossæ veteres: *Medietas*, Μεσῆλιξ. Aliæ rectius: Μεσῆλιξ, Mediæ ætatis.

CALVVS REPENTE FACTVS EST] Ignatius: ψιλωθεὶς πᾶσαν ἀέσθη γέλως.

¶ AD PAG. XVII. SVSPENSO PEDE] Arnobius lib. v. *Ibat parcus ac trepidus anhelitu oris presso, suspensis per formidinem gressibus.* Psyche Miles. fab. v. *thoro delapsa, nudoque vestigio pensilem gradum paullatim muniens.*

¶ AD PAG. XXI. IN MISENENSEM VILLAM] Villam in Misenensi agro, de qua Plinius lib. XVIII.

EX ALTICINCTIS VNVS ATR.] Veteres Glossæ : Ἀνεσταλμένος, *alticinctus.* Horatius :

His vbi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam detersit.

Idem, *--altius ac nos Præcincti sumus.* Sic apud Petron. *Statores & altius cincti.* & apud Minucium, *Diana alte succincta venatrix.* Sic etiam in Charact. Theophr. rusticus depingitur, ἀναβεβλημένος ἄνω τοῦ γόνατος καθιζάνει, ὥστε τὰ γυμνὰ αὐτοῦ φαίνεσθαι.

¶ AD PAG. XVIII. ALVEOLO LIGNEO] Glossæ veteres : *Alueus,* Σκάφη.

NOTIS FLEXIBUS] Sic Virgilius,

Obijciunt equites sese ad diuortia nota. Sic ipse Phædrus *Exitus notos*, & *Candorem notum*, & *Pernicitatem notam*, & *Notum canticum.*

COME OFFICIUM IACTITANS] Huc pertinere arbitror quod in Isidori glossis legere est: *Officiperdæ, qui sui laboris non habent remunerationem. Catoni quoque dicuntur, offitiperdi.* Innuit autem Isidorus hos Catonis philosophi versiculos,

Gratus officiis, quo sis mage carior, esto:
Ne nomen subeas, quod dicũt, officiperdi.

SEDANS PULVEREM] Suetonius in Caligula. *Interdum adeo segniter & delicate, vt octophoro veheretur, atque a propinquarum vrbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter puluerem exigeret.*

QVUM ABDIDISSET CORNEA CORPUS DOMO] Sic apud Ciceronem lib. II. de Diuin. Cochlea domiporta dicitur hoc veteris poetæ versiculo:

Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam.

Et valde hallucinati sunt qui hæc Testudini communicauerunt. Iis enim verbis, *sanguine cassam*, coclea distinguitur a testudine. cujus sanguinem Plinius lib. XXXII. claritatem visus facere, suffusionesque oculorum tollere ait.

ALTIS AB ASTRIS DVRAM ILLIDAT COR.] Plinius lib. X. vbi de Aquila: *Ingenium est ei*, inquit, *testudines captas frangere e sublimi iaciendo: quæ sors interemit poetam Æschylum.*

DVRAM CORTICEM] Plinius quoque lib. IX. superficiem testudinis, corticem vocat. Sic Martialis lib. X. conchæ corticem. Et lib. XII. ep. 86.

Ipse licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

QVA COMMINVTA FACILE VESCATVR CIBO] Valerius Max. lib. IX. cap. 12. vbi de Æschylo: *Super quem Aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis va-*

cuum) perinde atque lapidi eam illisit, vt fracta carne vesceretur.

¶ AD PAG. XIX. FERRO MVLVM TRVSITANT] In vetustissimis codicib. Pithœano & Remensi legitur, *trucidant*, quod lex metri non patitur. Vnde ego reposui, *trusitant*, quod proxime accedit. Catullus, passerem suæ puellæ trusantem se deprehendisse ait: hoc est, frequenter obtrudentem. Eademque forma dictæ etiam molæ trusatiles.

CORRVPTOS VIDERAT NVPER BOVES] Sic *rupta mula* Martiali IIX. 58. & Alpheno in l. Qui insulam. Locati. *Rupti veredi*, Ausonio. Ruperit, fere omnes veteres sic intellexerunt, corruperit, ait Vlpianus, L. Si seruus seruum. Ad L. Aquil.

TOLLERE HÆC ARANEA] τὰ ἀράχνια.

¶ AD PAG. XX. DOMINVM VIDERE PLVRIMVM IN REB. SVIS] Catonis monitum est, Frontem occipitio priorem esse. Quod sic interpretatur Plinius lib. XVIII. cap.

v. Frontem domini, agro plus prodesse quam occipitium. Idem cap. VI. *Profecto*, inquit, *opera non impensa, cultura constat. Et ideo maiores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt.*

CORDE DVRATO] Catullus: *At tu, Catulle, destinatus obdura.* Lucretius V. *Atque opere in duro durarent membra manusque.* Virgilius Georg. III. *Humeros ad vulnera durat.* Petronius: *Cuius tam crudeles manus in hoc supplicium durassent.* Seneca, Controu. I. *Corpus illi erat & natura solidum & multa exercitatione duratum.* Glossæ veteres: *Durat*, καρτερεῖ, μακροθυμεῖ. ὑπομένει.

¶ AD PAG. XXI. EVTYCHE] Vetus inscriptio Romæ. EVTYCHVS. AVG. LIB. NERONIANVS. MEDICVS. LVDI. MATVTINI. Ludus autem ille matutinus, Arena matutina dicitur Martialis epigr. 25. lib. X. quemadmodum & matutinæ feræ, epigr. 95. lib. XIII. Fit & mentio aliorum Eutychorum in Inscriptionibus passim.

OTIVM DES CORPORI] Plinius Epist. 1. 9 *Corpori vaco, cuius fulturis animus sustinetur.*

CVRAMQ. HABENDI PENITVS CORDE ERASERIM] Hegesias apud Rutilium Lupum lib. II. de sig. sent. *Alter in studio laudis versabatur & industria virtutis, vitam gloriosam sed laboriosam sequebatur: alter in augenda pecunia occupatus, & habendi cupiditate deprauatus, summas diuitias summam virtutem existimabat.*

SED IAM QVODCVNQVE FVERIT, VT DIXIT SINON] Sinonis oratio in II. Æneid. sic incipit:

Cuncta equidem tibi Rex, fuerit quodcunque, fatebor.

Atque ita legendum constat ex hoc Phædri loco. neque aliter legebat Seruius:

¶ AD PAG XXII. FABVLARVM CVR SIT INV. GENVS] Id est fabulæ. vt initio libri II. *Exempli continetur Æsopi genus*, id est Æsopus. Et libro v. vbi de tibicine:

--- Et lepidum genus,
Desiderari cepit, cuius flatibus, &c.

id est lepidus tibicen.

SERVITVS OBNOXIA QVIA

QVÆ VOL. NON AVD. DIC.] Plinius Cæcilius Macro, vbi de auunculo suo: *Dubij sermonis octo lib. scripsit sub Nerone nouißimis annis, quum omne studiorum genus periculosum seruitus fecisset.*

ALIVS SEIANO] Eo sensu quo Horat. dixit, *Alius Lysippo.*

RAPIET AD SE QVOD ERIT COMMVNE OMNIVM] Sic in Queroli prologo: *In ludis autem atque dictis antiquam nobis veniam exposcimus. Nemo sibimet arbitretur dici, quod nos populo dicimus, Neque propriam sibimet caussam constituat communi ex ioco.*

SI PHRYX ÆS. POT. ANACHARSIS SCYTHA] Æsopum norunt omnes. Anacharsis autem summa etiam vsus est in moribus hominum carpendis libertate, vt indicant ista apud Laertium: παρέσχε δὲ καὶ ἀφορμὴν παροιμίας διὰ τὸ παρρησιαστὴς εἶναι. ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις.

ANACHARSIS SCYTHA] Herodoti Melpomene: ἔξω τοῦ Σκυθικοῦ, ἔθνεα ἀμαθέστατα. deinde: οὔτε αὐ-

δρα λογίων οἴδαμεν γινόμενον πάρεξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος ἢ Ἀναχάρσιος. Iure igitur Epicharmus, quum aliquis diceret, Σκύθης τὶς ὄλεθρος, subiecit interrogando, ὁ δ' Ἀνάχαρσις οὐ Σκύθης; Apuleius in Apol. *Quando non in omnibus gentibus varia ingenia prouenere? quãquam videãtur quædã stultitia vel sollertia insigniores. Apud socordissimos Scythas Anacharsis sapiens natus est: apud Athenienses catos, Meletides fatuus.*

LITERATÆ GRÆCIÆ] Herodoti Cleio: ἐπείγε ἀπεκρίθη ἐκ παλαιτέρου τοῦ βαρβάρου ἔθνεος τὸ Ἑλληνικὸν, ἐὸν καὶ δεξιώτερον, καὶ εὐηθίης ἠλιθίου ἀπηλλαγμένον μᾶλλον. Thessalus Hippocratis filius: αἱ γὰρ Ἀθῆναι ὑψηλότεροί τι τῶν ἄλλων πόλεων ἐς δόξαν. Arnobius lib. v. *Athenæ humanitatis artibus studiisque pollentes.* Idem: *Quid Erichthidæ, ô cati, quid ciues Mineruij dicitis?*

¶ AD PAG. XXIII. TALES QVVM SINT RELIQVIÆ] Horatius:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.

QVI ME NOVERIT] Iulianus Imp. Epist. ad Alexandr. de Dionysio quodam: ἡ γὰρ ἀφοβία καὶ τὸ μέγα θράσος, καὶ τὸ, Εἴθ' ἐμὲ γνοίης οἷος εἰμὶ, καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα, βαβαὶ πηλίκου κτύπου καὶ κόμπου ῥήματα; Incertæ Epitaphium, incerti Poëtæ:

Et tu quæ fuerim si nosses, candide lector, &c.

¶ AD PAG. XXIV. ET INSITIVOS SIGNIFICARI LIBEROS] Calpurnius Declam. XXIV. *Nemo vnquam magistratum fecit vicarium, nec in alio militauit, nec sacra gentilitia insertiua stirpe corrupit.* Fabius Declam. CCCX. *Duo cubicula irruisti: duobus maritis iniuriam fecisti: duas familias inserta stirpe confudisti.* Tabula ænea Lugduni, quæ Claudij Imp. orationem continet super ciuitate Gallis danda: HVIC. QVOQ. ET. FILIO. NEPOTIVE. EIVS. NAM. ET. HOC. INTER. AVCTORES. DISCREPAT. INSERTVS. SERVIVS. TVLLIVS. SI. NOSTROS. SEQVIMVR.

CAPTIVA. NATVS. OCRESIA.

¶ AD PAG. XXV. VXORES, INQVIT, DA TVIS PASTORIB.] Consimilis fabula narratur apud Plutarchum in Conuiuio Sapientum. Itaque illic Thales, audita Dioclis super eiuscemodi portento sententia, Periandrum sic alloquitur: ἃ μὲν Διοκλῆς κελεύει δράσεις καθ' ἡσυχίαν· ἐγὼ δέ σοι παραινῶ ἐθίζειν τὸ μὴ χρῆσθαι νομεῦσιν ἵππων, ἢ διδόναι γυναῖκας αὐτοῖς. Eandem vero corruptelam & Latijs pastoribus obijcit Iuuenalis Satyra II.

O proceres, censore opus est, an aruspice nobis?
Scilicet horreres, maioraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?

Et post aliquot versus, ait,

ô Pater Vrbis,
Vnde nefas tantum Latiis pastoribus? vnde
Hæc tetigit Gradiue tuos Vrtica nepotes?

QVALE, INQVIT, CAPVT EST, TALIS PRÆSTATVR SAPOR] Nonnunquam mala ingenia male habitant. Et est apud Cassium Iatrosophistam problema, Διὰ τί τερατόμορφοι, καὶ ἄφρονες; ὅτι τοῖς σωματικοῖς τὰ ψυχικὰ συμπάσχει, ὥσπερ τοῖς ψυχικοῖς τὰ σωματικά. Erato ad Terpsitheam in Epist. Theophyl. Simoc. τῆς φύσεως τὴν σοφίαν τεθαύμακα, κακίσῃ ψυχῇ σώματος εὐπρέπειαν μὴ πιστεύσασαν.

¶ AD PAG. XXV. DOLONE COLLVM COMPVNGAM TIBI] Scite dolonem vocat muscæ proboscidem, ex qua dens prominet, quo irata pungit. Lucianus Muscæ encom. ἀμύνεται μέντοι οὐ κατὰ τὸ ὀῤῥοπύγιον, ὡς σφὴξ καὶ μέλιττα, ἀλλὰ τῷ στόματι καὶ τῇ προβοσκίδι. ἐκ δ' αὐτῆς ὀδοὺς προκύπτει, ᾧ κεντοῦσα πίνει τοῦ αἵματος.

FLAGELLO LENTO] Sequacis in verbera lentitiæ.

VBI STRIGANDVM] Interquiescendum. Cynthia Propertiana: *Striga. nam capto volsi carpenta nepotis.* Seneca Epist. XXXI. *Rursus ad honesta*

nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor & clamabo, Tanto melior; surge & restriga: & cliuum istum vno, si potes, spiritu exsupera. Charisius: *Striga, interuallum turmarũ significat in quo equi strigantur.* Vid. Higinus l. de castram.

¶ AD PAG. XXVI. QVO CIBO TANTVM FECISTI CORPORIS] Sic Varo lib. VII. de re rust. cap. 6. Admissarium equum corpore multo esse debere ait. Plautus Epidico: *Corpulentior videre atque habitior.*

QVIA VIDEOR ACER, ALLIGANT ME INTERDIV] Idem Varro, vbi de canib. *Iritant ad pugnandum, quo fiant aeriores.* Catonis autem præceptum est, Canes interdiu claudi, vt noctu acriores & vigilantiores sint.

IN CATHEDRA MATRIS] Ad feminarum cathedras pertinent ista Martialis Epigr. 63. lib. III.

Inter femineas noctesque diesque cathedras
Desidet.-- Et Epigr. 38. lib. XII.

Hunc qui femineis noctesque diesque cathedris,
Incedit, tota notus in vrbe nimis.

Et Iuuenalis Sat. IX.

--strata positus longaque cathedra,
Munera femineis tractas secreta calendis.

Vetus interpres, cathedras esse ait scamna quædam ceruicalibus stratis. Et in l. v. De supell. leg. recensentur Subsellia cathedraria.

¶ AD PAG. XXVII. VIR NATVS] Apuleius Apolog. *An tu ignoras nihil esse aspectabilius homini nato, quam formam suam?* Rutilius Lupus ex Hyperide lib. II. de fig. sent. *Nonne vehementissime admiraretur, si quisquam non gratissimum munus arbitraretur, virum se natum; sed deprauato naturæ beneficio in mulierem conuertere se properasset?*

REM FEMINARVM] Anacreon:

Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα.
Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν.
Τί οὖν δίδωσι; κάλλος.

SPECVLO VOS VTI VOLO] Plautus Epidico:

Non oris causa modo homines æquum fuit
Sibi habere speculum, vbi os contemplarent suum:
Sed qui perspicere possent cor sapientiæ.

Seneca Natur. quæst. 1. *Inuenta sunt specula, vt homo ipse se nosceret. multa ex hoc consecuta. primo sui notitia. deinde & ad quædam consilium. Formosus, vt vitaret infamiam; deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset.* Apuleius in Apologia pro se: *An non Socrates philosophus vltro etiam suasisse fertur discipulis suis, crebro vt semet in speculo contemplarentur? vti qui eorum foret pulcritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui vero minus se commendabilem forma putaret, sedulo operam daret, vt virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeo vir omnium sapientissimus speculo etiam ad disciplinam morum vtebatur.*

SPERANTE HEREDEM SVFFICI SE PROXIMVM] Sic apud

Persium Sat. II.

--pupillumque vtinam, quem proximus heres
Impello, expungam.---

¶ AD PAG. XXVIII. ÆTATEM ADVLTAM SERVANS DILIGENTIVS] Sic Catullo puella, *Adseruanda nigerrimis diligentius vnis.*

NIHIL RESPICIENS DVM DOLOREM VINDICET]

--exigit autem
Interdum ille dolor plus quam lex vlla dolori
Permisit.---

Papinianus in l. XXII. Ad leg. Iul. de adult. *Mariti calor & impetus facile decernentis fuit refrenandus.* Alexander A. in l. IV. Cod eod. Inconsultum dolorem vocat: & tamen addit: *Nox & dolor iustus factum eius releuant.*

SANCTAMQ. VXOREM] Martialis x. 30. *Non ille sanctæ dulce Tibur vxoris.* Et passim in vetustis sepulcrorum inscriptionib. VXORI SANCTISSIMÆ.

SOPITA PRIMO QVÆ NIL

SOMNO SENSERAT] In Epitaphio Miellæ cuiusdam lib. III. Epigr. veterum:

Irrumpit gladio coniux: heu victa sopore,
Vix sensi armatas in mea fata manus.

ROMAMQVE PERTRAXERVNT AD CENTVMVIROS] Hinc discimus etiam capitales causas apud Centumuiros fuisse agitatas, vt ex ijs quæ apud Quintilianum leguntur lib. IV. *Iam quibusdam in iudicijs, maximeque capitalibus, vt apud Centumuiros, ipsi iudices exigunt sollicitas & accuratas actiones.*

VT ADIVVARET IVRISIVRANDI FIDEM] Quintilianus l. V. cap. II. *Rogandi etiam iudices, vt rem potius intueantur ipsam, quam iuriiurando alieno suum donent.* & cap. 6. vbi de iureiurando: *At is qui defert, agere modeste videtur, quum litis iudicem aduersarium faciat, & eum, cuius cognitio est, onere liberet: qui profecto alieno iuri iurando stare, quam suo malit.* Iudices, antequam iudicarent, in leges iurare consueuerant, inquit

Asconius in II. Verr.

SVBTILITER LIMASSET] Glossæ veteres : *Limatur*, *Rimatur*, Ζητεῖ.

NON EVERTISSET SCELERE FVNESTO DOMVM] Eiusdem modi est ille apud Quintilianum color lib. VII. cap. 4. *Nec fuit in causa mortis solum adolescentium factum, sed credulitas senis, & in dolore ferundo infirmitas. Denique si fortior fuisset, aut prudentior, viueret.* Lucianus : πολλαὶ δὲ φιλίαι συνεκόπησαν, καὶ οἶκοι συνεχύθησαν ὑπὸ τῆς κατὰ τὰς διαβολὰς πιθανότητος.

NEC TAMEN CREDAT STATIM] Petronius : *Nunquam recte facit, qui cito credit.*

¶ AD PAG. XXIX. DAMNVM AMISSI CORPORIS] Martialis lib. IX. 7. *Virilitatis damna mœret ereptæ.* Iuuenalis Sat. XII.

-- Cupiens euadere damno
Testiculorum.

AMISSI CORPORIS] Sic *amissa virilitas*, Vlpiano l. IV. Ad l. Cornel. de sic. Eodemque auctore,

amissa

amissa dicuntur ea, quæ corrupta alicui relinquuntur, scissa forte vel fracta, l. IV. Vi bonor. rap.

INTEGRITATIS TESTES] Ludit Phædrus ambiguo verborum sensu.

OLIM REDISSES AD SPLENDOREM MAXIMVM] Vnde & matronæ Romanæ dictitabant lictorem feminæ in publico vnionem esse: qui nimirum fulgore & splendore suo turbam quasi submoueret. Plinius x. 35.

AD PAG. XXX. NON INCONVENIENS CORPVS, ET PAR EST COLOR] Plinius XI. *Sunt autem fuci sine aculeo velut imperfectæ apes, nouissimeque a fessis & iam emeritis inchoatæ, serotinus fœtus, & quasi seruitia verarum apum.*

TVM VICTOR SOPHVS] Sic Plinius lib. XXXVI. cap. XII. Æsopum fabularum Philosophum appellat.

SOPHVS] Ipse Phædrus lib. IV. *Factus periclo tum gubernator sophus.* Pomponius lib. II. De orig. iuris:

Fuit post eos maximæ scientiæ Sempronius, quem populus Rom. Sophum appellauit. Nec quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est.

CITO RVMPES ARCVM] Amasis apud Herodotum lib. II. τὰ τόξα οἱ κεκτημένοι, ἐπεὰν μὴ δέωνται χρᾶσθαι ἐντανύουσι· ἐπεὰν δὲ χρήσωνται ἐκλύουσι. εἰ γὰρ δὴ τὸν πάντα χρόνον ἐντεταμένα εἴη, ἐκραγείη ἄν, ὥστε ἐς τὸ δέον οὐκ ἂν ἔχοιεν αὐτοῖσι χρῆσθαι. οὕτω δὴ καὶ ἀνθρώπου κατάστασις· εἰ ἐθέλοι κατεσπουδάσθαι αἰεὶ, μηδὲ ἐς παιγνίην τὸ μέρος ἑωυτὸν ἀνιέναι, λάθοι ἂν ἤτοι μανεὶς, ἢ ὅγε ἀπόπληκτος γενόμενος.

¶ AD PAG. XXXI. DEIN PORTAT ONVS] Ipse Phædrus lib. I. *Onus naturæ melius quo deponeret.* Agellius lib. XII. I. *Ne æquor illud ventris irrugetur, ac de grauitate oneris labore partus fatiscat.* Ouid. lib. II. Amor. 13.

Dum labefactat onus grauidi temeraria ventris,
In dubio vitæ lassa Corinna iacet.

AD PAG. XXXII. MINERVA ADMIRANS QVARE STE-

RILES SVMERENT] Martialis lib. XI. epig. 77.

Pierios differ cantusque chorosq. sororum.
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Mineruæ.
Hæc sapit: hæc omneis fenerat vna Deos.
Quid possent ederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pŏdere nigra comas, &c.

NITOR SMARAGDI] Pisides:

Ὅπως ἰδὼν τις τὸν ταῶν μὴ θαυμάσοι,
τὸν χρυσὸν ὡς σάπφειρον ἐμπεπλεγμένον,
καὶ τὴν πτερωτὴν ἐν σμαράγδῳ πορφύραν.

GEMMEAM CAVDAM EXPLICANS] Plinius lib. x. *Gemmantes laudatus expandit colores, aduerso maxime sole, quia sic fulgentius radiant.*

ÆSOPVS DOMINO SOLVS QVVM ESSET FAMILIA] Solus quum esset τὰ πάντα, quemadmodum Sidonius Apollinaris Carm. VII.

--respublica nostra
Tota Camillus erat.--

Nam alias vnicus seruus familiæ ap-

pellatione non continetur. Ne duo quidem familiam faciunt. Vlpianus, l. XL. de verb. ſignific.

¶ AD PAG. XXXIII. MEDIO SOLE QVID CVM LVMINE] Horatius Satira IV. lib. I.

Ebrius, & magnum quod dedecus, ambulat ante
Noctem cum facibus.--

CIRCVM QVÆSTVS] περὶ ἀγοράς.

¶ AD PAG. XXXIV. SED DILIGENTER INTVERE HAS NÆNIAS] Syneſius lib. de Inſom. ἀρχαῖον οἶμαι καὶ λίαν πλατωνικὸν ὑπὸ προσχήματι φαυλοτέρας ὑποθέσεως κρύπτειν τὰ ἐν φιλοσοφίᾳ σπουδαῖα.

NON SEMPER EA SVNT QVÆ VIDENTVR] Tertullianus in Apolog. *Cæcitatis duæ ſpecies facile concurrunt, vt qui non vident quæ ſunt, videre videantur ea quæ non ſunt.*

DECIPIT FRONS PRIMA MVLTOS] Accius in Bruto:

- quem tu eſſe hebetem deputes æque
ac pecus,

Is sapientia munitũ pectus egregiũ gerat.

HOC NE LOCVTVS SINE MERCEDE EXISTIMER] Plinius Cæcilius Caluisio suo: *Assem para, & accipe auream fabulam.*

MVSTELA] Glossæ veteres: αἴλυρος, *Feles, hæc catta.* Scholiastes Callimachi Hymn. in Cerer. αἴλουρος, ὁ ἰδιωτικῶς λεγόμενος κάτος.

MVSTELA QVVM ANNIS ET SENECTA DEBILIS] Epiphanius Physiol. cap. XIX. & Michaël Glycas I. Ann. de vulpe & auiculis.

RETORRIDVS] Vt Horatio, *recoctus scriba.*

MVSCIPVLA] Vt supra, *aranea.*

SIC VALEAS, INQVIT, VT FARINA ES QVÆ IACES] In antiqua sepulcri inscriptione, pag. DCCX. QVISQVIS. EVM. LAESIT. SIC. CVM. SVIS. VALEAT.

¶ AD PAG. XXXV. NOLO ACERBAM SVMERE] Ismene apud Eustathium lib. v. φεῖσαι παρθενίας ἐμῆς, μὴ πρὸ τῆ θέρους ἐκτίλλης τοὺς στάχυας, μὴ τὸ ῥόδον τρυγήσης πρὸ τῆ κύψαι τῆς κά-

λυκος, μὴ τὴν σταφυλὴν ὀμφακίζουσαν, μή-
πως αὐτὴ νέκταρος ὄξος ἐκτλίψῃς.

AVXILIVM PETIIT HOMINIS] Horatius ad Fuſcum Ariſtium, fabulam narrat de equo & ceruo:

Implorauit opes hominis frenumque recepit.

Hac fabula primum vſus eſt Steſichorus apud Himerenſes aduerſus Phalarim, vt tradit Ariſtoteles cap. 20. lib. II. Rhetoric.

QVEM DORSO LEVANS] Ariſtoteles: ἠρώτα τὸν ἄνθρωπον εἰ δύναιτο μετ' αὐτοῦ κολάσαι τὴν ἔλαφον. ὁ δ' ἔφησεν, ἐὰν λάβῃ χαλινὸν, καὶ αὐτὸς ἀναβῇ ἐπ' αὐτὸν ἔχων ἀκόντια.

QVIDAM DECEDENS TRES RELIQVIT FILIAS] Hac fabulla continetur elegans & ſubtilis τῶν ἀπόρων quæſtio: cuiuſmodi eſt ea quæ ab Africano proponitur l. Qui quadraginta. D. Ad leg. Falcid.

OCVLIS VENANTEN VIROS] Eodem ſenſu Martialis epigram. 97. lib. I.

Sed ſpectat oculis deuorantibus dr.

ALTERAM LANIFICAM] Lucilius Sat. VI.

--Thaunomeno inquit balba sororem,
Lanificam dici siccam atque abstemiam
vbi audit.

¶ AD PAG. XXXVI. VESTEM, MVNDVM MVLIEBREM] Vestis muliebris, mundus muliebris, ornamenta muliebria distinguntur l. XXV. De aur. arg. mund.

LAVATIONEM ARGENTEAM] Vlpianus in l. Argumento, De aur. arg. *Mundus muliebris est, quo mulier mundior fit. continentur eo specula, matulæ, vnguenta, vasa vnguentaria, & si quæ similia dici possunt, veluti lauatio, riscus*, &c.

EVNVCHOS GLABROS] Iuuenalis Satyra VI.

Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia
semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ,
Et quod abortiuo non est opus.

Martialis lib. VI. epigr. 67.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia,
quæris.

Pannice, *Vult f. G. n. p.*

INSTRVMENTVM RVSTICVM] Quicquid fructuum quærendorum, colligendorum conseruandorum causa paratum est. Vlpianus in l. Quæsitum est. De Instruc. vel.

POTRICI] Terentius in Andria: *Importunitatem spectate aniculæ quæ compotrix eius est.* Glossæ veteres: Πότης, *Bibax*, *Potax*.

PLENAM ANTIQVIS APOTHECAM CADIS] Sic passim apud iuris auctores, *Vinum in cellis atque apothecis conditum.*

ANTIQVIS CADIS] Apuleius II. *Vini cadum in ætate pretiosi.*

DOMVM POLITAM] Sic apud Varronem l. I. de re rust. cap. 2. *regie polita ædificia.* Festus: *Depolitum, perfectum: quia omnes perfectiones antiqui politiones appellabant.*

¶ AD PAG. XXXVII. ARTOS CIRCVM TREPIDARENT CAVOS] Horatius I. Epist.

Macra cauum repetas artum, quem macra subisti.

TREPIDARENT] Callimachus Hymno in Cer.

Καὶ ταὶ ἄλευρον, ταὶ ἔτρεμε θεῖα μικρά.

HAESERE IN PORTIS] Sic de Hispanorum fuga Liuius, in descriptione prœlij ad Emporias Catone duce commissi: *Cæduntur in portis suomet ipsi agmine in arcto hærentes.* lib. XXXIV.

CAPACIS ALVI MERSIT TARTAREO SPECV] Artemidorus Oneirocr. I. στόμα ἔοικε τάφῳ ὅσα γὰρ ἂν λάβοι τὸ στόμα, διαφθείρει καὶ φυλάττει.

FABRICASSET ARGVS OPERE PALLADIO RATEM] Apollodorus lib. I. Biblioth. Ἄργος Ἀθηνᾶς ὑποθεμένης πεντηκόντορον ναῦν κατεσκεύασε τὴν προσαγορευθεῖσαν, ἀπὸ τοῦ κατασκευάσαντος, Ἀργώ.

¶ AD PAG. XXXVIII. ILDA CONTRA CONTVMAX] Sic Martiali, *Syllaba contumax.*

¶ AD PAG. XXXIX. TANTA BONITAS EST AQVAE] Frontinus lib. I. de aquæd. *Bonitate proxima Martia.*

PERAS IMPOSVIT IVPITER] Ammonius : Πήρα δέρμά τι ἀρτοφόρον, ὃ ἐπὶ τῶν ὤμων φέρουσιν οἱ ποιμένες.

PROPRIIS REPLETAM VITIIS POST TERGVM DEDIT] Catullus :

--Suus cuique attributus est error :
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

Persius Satir. IV.

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

B. Augustinus in Psal. 1. *Non posui*, inquit, *post dorsum meum quod feci. Non intueor alios oblitus mei. Peccatum meum ante me est, non post me*, &c.

IPSVMQ. COMPILAVIT AD LVMEN SVVM] Tale est illud Plinij lib. 1. *Alij in ipso Capitolio fallunt, & fulminante peierant Ioue.*

¶ AD PAG. XL. RECTE LOQVI] Auienus :

-- rectis constet sentia verbis :

Seneca in Procem. Controuers. *Non placebat illi orationem inflectere, nec vnquam recta via decedere.* Paulo post: *summam quidem esse dementiam detor-*

quaere orationem, cui rectam esse liceret. Sic Martiali, *Recta fides.* Et recte loqui, hoc est, *Romana simplicitate loqui.* Vnde & in Floridis: *Ciue Romano per orbem nemo viuit rectius.*

AD PAG. XLI. POSTQVAM LAVARE CEPIT PENITENTIA] Nota est ex Suetonio Parrhasij tabula, in qua Meleagro Atalanta ore morigerabatur. Hanc vero detestandae libidinis obscenitatem a turpibus poculis traxisse originem ait Phaedrus: nempe, vt tradit Plinius principio libri XXXIII: *In poculis libidines caelare iuuit, ac per obscenitates bibere.* Iuuenalis Sat. II.

--vitreo bibit ille Priapo.

Immo & panes pudenda figura conformabant, vt videre est apud Martialem lib. IX. epigr. 3. & lib. XIII. epigr. 69.

PENITENTIA] Tentia, vt in vetere glossario, Tentio, πέος. Sic *tendere alutam*, Mart. & *tenta vena.*

ROGAVIT ALTER] Hinc manifestissimum est aliquid praecessisse

de Prometheo.

TRIBADAS] Soranus Ephesius flagitium istud malignæ ac fœdissimæ mentis passionem esse ait.

MOLLES MARES] Cælius Aurelianus cap. vlt. lib. IV. *Molles siue subactos.* Rutilius Lupus ex Hyperide: *Quid si tandem, iudices, apud ipsam naturam hanc causam agerem? Atqui ita diuisit muliebrem virilemque personam, vt suum cuique opus atque officium distribueret. Ei ego hunc ostenderem, muliebri ritu esse suo corpore abusum. Nonne vehementissime admiraretur, si quisquam non gratissimum munus arbitraretur virum se natum, sed deprauato naturæ veneficio, in mulierem conuertere se properasset?*

IRRIGATVS MVLTO VENAS NECTARE] Virgil. Ecloga VI.

Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, vt semper, Iaccho.

TVM SEMISOMNO CORDE ET ERRORE EBRIO] Mar-

tialis lib. XIX. epigram. CLXXXII.

Ebrius hæc fecit terris puto monstra Prometheus,
Saturnalitio lusit & ipse luto.

APPLICVIT VIRGINALE] Solinus, *Concretum virginal*, dixit quod Plinius lib. VII. dixerat *concretum genitale*.

APPLICVIT VIRGINALE GENERI MASCVLO] Attigit hanc fabulam Lucianus in Prometheo. Δέδια τοίνυν μὴ αὖθις ὅμοιόν τι τῷ Προμηθεῖ σοὶ πεποιηκὸς φαίνωμαι τὸ θῆλυ τῷ ἄρρενι ἐγκαταμίξας, καὶ δι' αὐτὰ δίκην ὑπόσχω. Comœdiæ scilicet partes Dialogo applicuerat.

¶ AD PAG. XLII. TOTAMQVE VITAM MISCET DOLOR ET GAVDIVM] Ouidius:

--vsque adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis interuenit.

FVRFVRIBVS CONSPARSVM PANEM] Pacuuius: *Qui apud te, quasi seruus, est caniceum panem.* Festus: *Canicæ, furfures de farre, a cibo canum vocatæ.* Iuuenalis Sat. V.

--tantine iniuria cœnæ,
Tam ieiuna fames? quum poßis honestius illic
Et tremere & sordes farris mordere canini.

MAXIMAM EXPLERENT FAMEM] Plautus in Sticho:

--at ego non pauxillulam in vtero gesto famem:
Verum hercle multo maximam & grauißimam.

SCRVTANTVR ESCAM IN STERCORE] Ipse Phædrus supra:

Triuio conceptus & educatus stercore.

Martialis lib. I. Epigr. 84.

Os & labra tibi lingit Manneia catellus,
Non miror merdas si libet esse cani.

TOTAM TIMENTES CONCACARVNT REGIAM] Sic Martialis de Æthonte; lib. XII. epig. 78.

Multis dum precibus Iouem salutat,
Stans summos resupinus vsque in vngues,
Æthon in Capitolio pepedit.

TIMENTES CONCACARVNT] Iuuenalis Sat. XIV.

-& trepidum soluunt tibi cornua ventre,

Cum lituis audita.

Vide Gel. XIX. 4. & Macrob. VII. 11.

¶ AD PAG. XLIII. NON VETO DIMITTI, VERUM CRUCIARI FAME] Tale est illud Iuuenalis Sat. VI.

--quum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis, & aperto viveret horto.

VERUM CRUCIARI FAME] Neque alia fuit Æthontis illius pœna, qui dum Iouem salutat sub centunculo forte crepuerat. Martialis prædicto epigr.

Riserunt comites: sed ipse diuum
Offensus genitor, trinoctiali
Adfecit domicœnio clientem.

QVI FERT MALIS AVXILIVM] Basilius Imp. ad Leonem F. ὁ τοὺς κακοὺς εὐεργετῶν ἐγκόλπιον ἔχει τὸν ὄφιν, ἐν καιρῷ μὲν θαλπόμενον, ἐν καιρῷ δὲ τὸν εὐεργέτην ἰοβόλῳ δήγματι ἀμυνόμενον.

¶ AD PAG. XXIV. DIS EST IRATIS NATVS] Festus: *Dirus, Dei ira natus.* Glossæ veteres: Θεοχόλωτος, *Deiratus.* Seneca in Ludo Clau-

dij: *Videte corpus eius Dis iratis natum.* Iuuenalis Sat. x.

Dis ille aduersis genitus fatoque sinistro.

QVID MENTE CÆCA MISERVM TORQVES SPIRITVM] Rutilius Lupus ex Hyperide: *Nam qui parcus est, vtitur eo quod satis est: tu contra, propter auaritiam, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiæ fructus, quam inopiæ miseria te consequitur.*

¶ AD PAG. XLV. MERCEDE ACCEPTA LAVDEM VICTORVM CANENS] Habes exemplum apud Aristotelem III. Rhetor. cap. 2.

CETERI TABVLAM SVAM PORTANT] Persius Satyra I.

-- quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes.

¶ AD PAG. XLVI. MAGNA QVVM MINARIS, EXTRICAS NIHIL] Euriades Cimoni in Theophyl. Simocatæ epist. ἐπαγγέλλεις πολλά, καὶ πράττεις ὀλίγα, καὶ τὴν γλῶτταν ἔχεις ὑψηλοτέραν τῆς πράξεως.

EXTA PRÆGVSTO DEVM]

Lucianus in Muscæ Encomio: οἱ ὄψοποιοὶ ταύτῃ τὰ ὄψα ἡδύνουσι, καὶ βασιλέων αὐτῶν προγεύεται, καὶ ταῖς τραπέζαις ἐμπεριπατοῦσα συνεσθίεται αὐτοῖς καὶ συναπολαύει πάντων.

ET MATRONARVM CASTA DELIBO OSCVLA] Lucianus: τὸ φίλημα τὸ αὐτὸ καὶ ἡ τοῦ αἵματος ἐπιθυμία, οὐκ ἀγριότητος, ἀλλ' ἔρωτός ἐστι σημεῖον καὶ φιλανθρωπίας. ὡς γὰρ δυνατὸν ἀπολαύει τὸ τοῦ κάλλους τι ἀπανθίζεται.

LABORO NIHIL, ATQ. OPTIMIS REB. FRVOR] Lucianus: ἀργὸς δὲ αὐτὴ καὶ ἄνετος οὖσα τὰ ὑπὸ τῶν ἄλλων πονούμενα καρποῦται, καὶ πλήρης αὐτῇ πανταχοῦ τράπεζα.

MORI CONTRACTAM QVVM TE COGVNT FRIGORA] Muscæ vitam breuissimam esse fatetur Lucianus: καὶ μήν τοι ὠκύμορος οὖσα· πάνυ γὰρ εἰς στενὸν ὁ βίος αὐτῆς συμμεμέτρηται.

VICTORI LAVDEM CVIDAM PYCTÆ VT SCRIBERET] Quintilianus lib. XII. *Quum pugili coronato carmen, quale componi victoribus solet, mercede pacta scripsisset.*

PYCTÆ] Sic apud Columellam,

Gallinaceus pyctes. Apud Senecam initio lib. IV. Nat. quæst. *Apollonius picta.* Apud Plinium lib. 7. *Euthymus pycta.*

VSVS POETÆ VT MORIS EST LICENTIA] Quintilianus: *More poetis frequentißimo digressus, in laudes Castoris & Pollucis exierat.*

HOMO PERTVRBATVS EXCITAT SIMONIDEM] Quintilianus: *Nuntio est excitatus, quod eum duo iuuenes equis aduecti desiderare maiorem in modum dicebantur.*

EXCITAT SIM] Suetonius in Augusto: *Militem in* XIV. *ordinibus sedentem excitari per apparitorem iußit.*

VNVM PROMORAT VIX PEDEM TRICLINIO] Quintilianus: *Nam vix eo limen egresso triclinium illud supra conuiuas corruit.*

RVINA CAMARÆ] Glossæ veteres: *Fornex, camara.* Item: *Camara, testudo.* Vetus interpres Iuuenalis, Sat. XIV. *Mundentur parietes vel camaræ.*

¶ AD PAG. XLVIII. Ap-

PAREBVNT TEMPORE] Rutilius Lupus lib. I. de fig. sent. *Quod beneficium tempore & cupienti datur, gratum est.*

PALAM MVTIRE PLEBEIO PERIC. EST] Versus ex Ennij Telepho apud Festum,

Palam mutire plebeio piaculum est.

¶ AD PAG. XLIX. QVARTVM LIBELLVM DVM TV VARIE PERLEGES] In Pithœano & Remensi: *Quartum libellum dum varie perleges.* claudicante versu. Pithœus ediderat, *dum vaciue perleges.*

PLVS VETVSTIS NAM FAVET INVIDIA MORDAX] Plautus Casina, initio:

Qui vtuntur vino vetere sapientiores puto,
Et qui libenter veteres spectant fabulas.

Martialis lib. VII. epigr. 69.

Miraris veteres Vacerra solos, &c.

Plinius lib. VI. epist. 21. *Miror antiquos, non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio.*

¶ AD PAG. LXII. ILLAM

OSCVLANTVR QVA SVNT OPPRESSI MANVM] Fabius Declam. CCXVIII. *Cadentis manus oscularis, & ferrum portas, fame periturus, si ille nihil male fecerit.* Tacitus Annal. III. *Ceterum tempora illa adeo infesta & adulatione sordida fuere, vt non modo primores ciuitatis, quibus claritudo sua obsequijs protegenda erat; sed omnes consulares, magna pars eorum qui praetura functi, multique etiam pedarij senatores certatim exsurgerent, foedaque & nimia censerent. Memoriae proditur, Tiberium quoties curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum: O homines ad seruitutem paratos.*

NE DEFVISSE NOCEAT, REPETVNT VLTIMI] T. Liuius lib. I. *Conuenere extemplo alij iam ante ad hoc praeparati, alij metu, ne non venisse fraudi esset.* Pacatus: *Expressae metu voces periculum silentij redimunt.*

VENIEBAT GRESSV DELICATO ET LANGVIDO] De Menandri luxu accipiendus est hic Tertulliani locus libro de Pallio:

Prorsus siquis Menandrico fluxu delicatam vestem humi protrahat, audiat pone se quod & comicus: Qualem demens iste chlamydem disperdit.

REIECTA PENVLA] Quintilianus XI. *Amictus quoque habet actum quemdam velut præliantem.*

¶ AD PAG. LXIII. IAM CVRABO SENTIAT QVOS ADTENTARIT] Cicero Epist. 22. lib. XII. *At etiam de te concionatur, nec impune. nam sentiet quos lacessierit.* Seneca Cont. I. *Vis illum vera spœnas dare? Sentiat quam iniuriam fecerit bono patri.*

QVANTIS FVGIAS VIRIBVS] Plautus Amphitruone:

Quum illi pugnabant maxime, ego tum fugiebam maxime.

ANIMAL IMPROBVM QVÆ DELEC. BIB. HVMAN. SANG.] Sic Meleager Culices esse ait, *αἵματος ἀνδρῶν σίφωνας.*

¶ AD PAG. LXIV. SANCTO HERCVLI] In vetusto marmore: HERCVLI. SANCTO. SAC. P. POMPONIVS. NOETVS. VOTVM. SOL. Arn. l. IV. *At Hercules sãctus Deus natas quinquaginta, &c.*

¶ AD PAG. LXV. NVLLIS ADIVTORIBVS] Suetonius de Ateio Philologo, ex Asinio Pollione: *Adiutorium ei fecit maxime quidem Atteius praetextatus nobilis Grammaticus Latinus, declamantium deinde adiutor atque praeceptor.* Idem de Lucio Crassitio: *Hic initio circa scenam versatus est dum mimographos adiuuat.*

ET SIC PORCELLI VOCEM EST IMITATVS SVA] Plutarchus lib. de aud. Poet. Parmenonis istius meminit, qui porcelli instar digrunniret, & Theodori cuiusdam, qui ab imo pulmone pituitam, quasi trochleis, adduceret. ἂν δέ τις, inquit, πιθανῶς ταῦτα μιμῆται, καθάπερ Παρμένων τὴν ὗν καὶ Θεόδωρος τὰς τροχιλίας, ἡδόμεθα. Est autem in hanc rem sapiens Agesilai apophthegma, apud eundem Plutarchum. τοῦ δὲ μιμουμένου τὴν τῆς ἀηδόνος φωνὴν ἀκοῦσαι παρακαλούμενος, Αὐτᾶς, εἶπεν, ἄκουκα πολλάκις.

VESTIMENTIS OBTEGERE] Plutarchus Symposiac. v. ὑπὸ μάλης.

LATENS] λανθάνων.

PERVELLIT AVR. VERO QVEM CELAVERAT] Imitationes huiusmodi plerumque se ipsæ turpiter produnt. Notum quid Gliconi, cui Spiridion fuit cognomen, acciderit. Huic puer, quem in ius productum quid fleret interrogabat, Ex pædagogo se vellicari, respondit. quod pædagogus faciebat, scilicet. Quintil, VI. C. 2.

SCVRRAM MVLTO SIMILIVS IMITATVM] ἰδοῦ ὑῶ, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν. Vel sic: τί οὖν αὕτη πρὸς τὴν Παρμένοντος; Plutarchus Symposiac. V.

¶ AD PAG. LXI. HEIA, IN COMMVNE EST] Seneca epist. cxx. *Quoties aliquid inueni, non expecto donec dicas, In commune: Ipse mihi dico.* Theophrastus Charact. Βδελυρίας. Καὶ τῶν διεσκορπισμένων χαλκῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐπὶ τῶν οἰκετῶν δεινὸς ἀπαιτῆσαι τὸ μέρος, Κοινὸν εἶναι φήσας τὸν Ἑρμῆν.

CARBONEM PRO THESAVRO] Carbones scilicet propter limites defodiebant antiqui, vt vide-

re est apud Siculum Flaccum.

PRINCEPS TIBICEN] Id nomen inditum & Grammatico cuidam, de quo Suetonius, lib. de clar. Gramm. *Me quidem adolescentulo repeto quendam Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare.*

¶ AD PAG. LXVII. INTER MANVS SVBLATVS] Liuius lib. III. vbi de Quinctio Cæsone: *Inter manus domum ablatum, mortuumque inde arbitrari.*

ET LEPIDVM GENVS DESIDERARI CEPIT] Lepidum genus, pro ipsius tibicinis arte. Sic initio libri II. *Exemplis continetur Æsopi genus.* Id est ars Æsopia fabularum. & initio libri III. *Nunc fabularum cur sit inuentum genus*, id est ars ipsa, & fabularum philosophia.

DEVOLVTIS TONITRIBVS] Festus: *Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcer instituit, vt ludis post scenam coniectus lapidum ita fieret, vt veri tonitrus similitudinem imitaretur. Nam antea leues admodum & parui*

parui sonitus fiebant quum claui & lapides in labrum æneum coniicerentur.

NOTVM CANTICVM] Sic ipse supra, *Notos flexus*, & *pernicitatem notam*, *& exitus notos*, & *candorem notum*.

CANTICVM] Petronius: *Potionem poposci. paratißimus puer non minus me acido cantico excepit.* Suetonius in Caligula: *Cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit.* Vetus Epigramma, de Pantomimo:

Nam quum grata chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ resonat cantor, motibus ipse probat.

IACTAT BASIA TIBICEN] Id est adorat populum. Sic in veteri Epigrammate, *Ingressus scenam populum saltator adorat.* Adorare autem est quod ait Iuuenalis Satyra III *. à facie iactare manus.* Tacitus Histor. I. *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, iacere oscula.* Iuuenalis Sat. IV.

Blandaque deuexæ iactaret basia rhedæ.

FAVTORES] Veteres glossæ: *Fautor*, ἐρεθιστής.

AD PAG. LXVIII. LIGATO CRVRE NIVEA FASCIA] Sic Pompeio candida fascia crus alligatum habenti. Fauonius, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema. Res eius regias exprobrans cauillatione panni exigui.

NIVEISQ. TVNICIS] Albæ vestes factiosorum signa: auctor Artemidorus lib. I. λευκὰ ἱμάτια ταραχὰς σημαίνει, διὰ τὸ τοὺς ἐν ὄχλῳ ἀναστρεφομένους λευκὰ ἔχειν ἱμάτια.

NIVEIS CALCEIS] Vopiscus de Aureliano: *Calceos mulleos, & cereos, albos & ederatios viris omnibus tulit: mulieribus reliquit.*

HONORE DIVINÆ DOMVS] Domus Augustæ, Imperatoriæ, Principalis. Vlpianus l. XII. Ad Sc. Turpil. *Si interueniente publica abolitione ex Sc. vt fieri adsolet, vel ob lætitiam aliquam, vel honorem domus diuinæ, &c.*

AB VNIVERSIS CAPITE EST PROTRVSVS FORAS.] Longe

fortunatior ille Tibicen, qui, vt Varro auctor est, ita populum delectauit, vt rex fieret. Vid. August. lib. de quantitate animæ.

FINXERE ANTIQVI TALEM EFFIGIEM TEMPORIS] Notum est Posidippi Epigramma εἰς ἄγαλμα τοῦ Καιροῦ.

ELAPSVM SEMEL] Plautus Captiuis:

Semel fugiendi si data est occasio,
Satis est, nunquam post illa possis prendere.

¶ AD PAG. LXIX. LANGVERE CEPIT ANNIS INGRAVANTIB.] Simile est illud Ennij apud Ciceronem lib. de Senectute:

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

SENEX LATRANS] Latrantem pro cane dixit Phædrus, vt supra Auritulum, pro Asino: Lanigerum, pro Agno: Barbatum pro Capro; Sonipedem, pro equo.

IAM DAMNAS QVOD NON SVMVS.] In vetustis exemplaribus Pithœano & Remensi: *Iam damnas quod sumus*. Fortasse Phædrus scripserat, *Iam damnas id quod sumus*.

HOC CVR PHILETE SCRIPSERIM] In antiquis inscriptionibus aliquoties reperitur, PHILETVS LIB. & ita scribitur in codice Remensi, sed recentiore manu superlitum, *Fili descripserim*.

OMISSA.

¶ PAG. VIII. NIL PRAETER DOM. NOMEN.] Cicero ad Brutum. Non sublatam dominationem, sed dominum commutatum.

¶ PAG. XXXVII. HISTORIA QVOR. IN TABERNIS PINGITVR.] Frustra laboramus in fulciendo versu, qui Phædri non est, sed inepti cuiusdam Grammatici. Expungatur.

FESTI AVIENI ÆSOPICARVM FABVLARVM Liber,

RVSTICA ET LVPVS.

FABVLA I.

RVstica deflenti paruo iurauerat olim,
Ni taceat, rabido quod foret esca lupo.
Credulus hanc vocem lupus audiit, & manet ipsas
Peruigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam lassata puer nimiæ dat membra quieti,
Spem quoque raptori sustulit inde fames.
Hunc vbi siluarum repetentem lustra suarum
Ieiunium coniux sensit adesse lupa;
Cur, inquit, nullam refers de more rapinam:
Languida consumtis sed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna
Vix miserum vacua delituisse fuga:
Nam quæ præda, rogo, quæ spes contingere posset,
Iurgia nutricis quum mihi verba darent?
Hæc sibi dicta putet, seque hac sciat arte notari,
Femineam quisquis credidit esse fidem.

AQVILA ET TESTVDO.

FABVLA II.

Pennatis auibus quondam testudo locuta est,
Si quis eam volucrum destituisset humi,
Protinus è rubris conchas proferret arenis,
Quis pretium nitido cortice bacca daret.
Indignans sibimet tardo quod sedula gressu
Nil ageret, toto perficeretque die.
Ast vbi promissis aquilam fallacibus implet,
Experta est similem perfida lingua fidem.
Et male mercatis dum quærit sydera pennis,
Occidit infelix alitis vngue fero.
Tum quoque sublimes, quum iam moreretur, in auras,
Ingemuit, votis hæc licuisse suis.
Nam dedit exosæ post hæc documenta quieti,
Non sine supremo magna labore peti.

¶ Sic quicunque noua sublatus laude tumescit,
Dat merito pœnas, dum meliora cupit.

CANCRI.

FABVLA III.

Curua retrocedens quum fert vestigia cancer,
Hispida saxosis terga relisit aquis.
Hunc genitrix facili cupiens præcedere gressu,
Talibus alloquiis præmonuisse datur
Ne tibi transuerso placeant hæc deuia, nate;
Kursus in obliquos neu velis ire pedes:
Sed nisu contenta ferens vestigia recto,

Innocuos prono tramite siste gradus.
Cui gnatus, faciam, si me præcesseris, inquit,
Rectaque monstrantem certior ipse sequar.

¶ Nam stultum nimis est, quum tu prauissima tentes,
Alterius censor vt vitiosa notes.

BOREAS & PHOEBVS.

FABVLA IIII.

Immitis Boreas, placidusque ad sydera Phœbus,
Iurgia cum magno conseruere Ioue:
Quis prior inceptum peragat: mediumque per orbem
Carpebat solitum forte viator iter.
Conuenit hanc potius liti præfigere causam,
Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulsus ventis circumtonat æter,
Et gelidas nimias depluit imber aquas.
Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida summotos qua trahit aura sinus.
Sed tenues radios paulatim crescere Phœbus
Iusserat, vt nimio surgeret igne iubar,
Donec lassa volens requiescere membra viator
Deposita fessus veste sederet humi.

¶ Tunc victor docuit præsentia numina Titan,
Nullum præmissis vincere posse nimis.

ASINVS PELLE LEONIS INDVTVS.

FABVLA V.

¶ Metiri se quemque docet, proprijsque iuuari
Laudibus, alterius nec bona ferre sibi.

Ne detracta grauem faciant miracula risum;
Cœperit in solitis quum remanere malis.

Exuuias asinus Getuli forte leonis
Repperit, & spoliis induit ora nouis,
Aptauitque suis incongrua tegmina membris,
Et miserum tanto pressit honore caput.
Ast vbi terribilis animo circumstetit horror,
Pigraque præsumptus venit in ossa vigor:
Mitibus ille feris communia pabula calcans,
Turbabat pauidos per sua rura boues.
Rusticus hunc magna postquam deprendit ab aure:
Correptum vinclis, verberibusque domat,
Et simul abstracto denudans corpora tergo,
Increpat his miserum vocibus ille pecus.
Forsitan ignotos mutato murmure fallis:
At mihi, ceu quondam, semper asellus eris.

RANA & VVLPES.

FABVLA VI.

Edita gurgitibus, olimque immersa profundo,
Et luteis tantum semper amica vadis,
Ad superos colles, herbosaque prata recurrens
Mulcebat miseras turgida rana feras,
Callida quod posset grauibus succurrere morbis,
Et vitam ingenio continuare suo.
Nec se Pæonio iactat cessisse magistro,
Quamuis perpetuos curet in orbe Deos.
Tunc vulpes pecudum ridens astuta quietem,
Verborum vacuam prodidit esse fidem.
Hæc dabit ægrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida cæruleus cui notat ora color?

¶ Ne sibimet quisquam de rebus inaniter vllis:
Quas nequit, imponat, ista fabella monet.

CANIS & RVSTICVS.

FABVLA VII.

¶ Haud facile est prauis innatum mentibus, vt se
Muneribus dignas suppliciove putent.

Forte canis quidam nullis latratibus horrens,
Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia sed pauidæ summittens verbera caudæ,
Concitus audaci vulnera dente dabat.
Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
Iusserat in rabido gutture ferre nolam.
Faucibus & nexis crepitantia subligat æra,
Quæ facili motu signa cauenda darent.
Hæc tamen ille sibi credebat munera ferri,
Et similem turbam despiciebat ouans.
Tunc insultantem senior de plebe superbum
Alloquitur, tali singula voce monens.
Infelix, quæ tanta rapit dementia sensum,
Munera pro meritis si cupis ista dari?
Non hoc virtutis decus ostentatur in ære:
Nequitiæ testem sed geris inde sonum.

CAMELVS & IVPITER.

FABVLA VIII.

¶ Contentum propriis sapientem viuere rebus,
Nec cupere alterius nostra fabella monet,
Indignata cito ne stet fortuna recursu,
Atque eadem minuat, quæ dedit ante, rota.

Corporis immensi fertur pecus isse per auras,
Et magnum precibus sollicitasse Iouem,

Turpe nimis cunctis, irridendumque videri
Insignes geminis cornibus ire boues;
Se solum nulla munitum parte camelum,
Obiectum cunctis, expositumque feris.
Iupiter arridens postquam sperata negauit,
Insuper & magnæ sustulit auris onus,
Viue minor merito, cui sors non sufficit, inquit,
Et tua perpetuum liuidæ damna geme.

VIATORES & VRSA.

FABVLA IX.

Montibus ignotis, curuisque in vallibus arctum
Cum socio quidam suscipiebat iter,
Securus quodcunque malum fortuna tulisset,
Robore collato posset vterque pati
Dumque per inceptum vario sermone feruntur,
In medium præceps conuenit vrsa viam.
Horum alter facili comprendens robora cursu,
In viridi trepidum fronde pependit onus:
Ille trahens nullo iacuit vestigia gressu,
Exanimem fingens, sponte relisus humi.
Continuò prædam cupiens fera sæua cucurrit,
Et miserum curuis vnguibus ante leuat:
Verum vbi concreto riguerunt membra timore,
(Nam solitus mentis liquerat ossa calor)
Tunc olidum credens, quamuis ieiuna, cadauer
Deserit, & lustris conditur vrsa suis.
Sed quum securi paulatim in verba redissent;
Liberior iusto qui fuit ante fugax,
Dic sodes, quidnam trepido tibi retulit vrsa.
Nam secreta diu multaque verba dedit? (iussit,
Magna quidem monuit: tamen hæc quoq, maxima
Quæ misero semper sunt facienda mihi,
Ne facile alterius reperas consortia dixit,
Rursus ab insana ne capiare fera.

EQVES & CALVVS.

FABVLA X.

Caluus eques capiti solitus religare capillos,
Atque alias nudo vertice ferre comas,
Ad campum nitidis venit conspectus in armis,
Et facilem frænis flectere cœpit equum.
Huius ab aduerso Boreæ spiramina perflant,
Ridiculum populo conspiciente caput.
Nam mox deiecto nituit frons nuda galero,
Discolor apposita quæ fuit ante coma.
Ille sagax, tantis quod risus millibus esset,
Distulit admota calliditate iocum.
Quid mirum, referens positos fugisse capillos,
Quem prius æquæuæ deseruere comæ?

¶ Ridiculo cuiquam quum sis, absoluere temes
Opposita veri cum ratione stude.

OLLA ÆREA & LVTEA.

FABVLA XI.

Eripiens geminas ripis cedentibus ollas
Insanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diuersa duas ars & natura creauit,
Ære prior fusa est: altera ficta luto.
Dispar erat fragili, & solidæ concordia motus,
Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen elisam confringeret ærea testam,
Iurabat solitam longius ire viam.
Illa timens ne quid leuibus grauiora nocerent,
Et quia nulla breui cum meliore fides,
Quamuis securam verbis me feceris, inquit,

Non timor ex animo decutiendus erit.
Nam, me siue tibi, seu te mihi conferat vnda;
Semper ero ambobus subdita sola malis.

¶ Pauperior caueat sese sociare potenti;
Namque fides illi cum parili melior.

RVSTICVS, QVI THESAVRVM INVENERAT.

FABVLA XII.

Rusticus impresso molitus vomere terram,
Thesaurum sulcis prosiluisse videt.
Mox indigna animo properante reliquit aratra,
Semina compellens ad meliora boues.
Continuo supplex Telluri construit aram,
Quæ sibi depositas sponte dedisset opes.
Hunc Fortuna nouis gaudentem prouida rebus,
Ammonet indignam se quoque thure dolens.
Nunc inuenta meis non profers munera templis,
Atque alios mauis participare Deos.
Sed cum m subrepto fueris tristissimus auro,
Me primam lacrymis sollicitabis inops.
Non me ridenti, sed tristi cernere vultu
Fas erit, & vacua sint tibi vota tua.
¶ Vnius accepto peccat graue quisque talento,
Si quod ab hoc sumpsit, imputat hoc alij.

TAVRVS & LEO.

FABVLA XIII.

Immensum taurus fugeret quum forte leonem,
Tutaque desertis quæreret antra viis:

Speluncam reperit, quam tunc hirsutus habebat,
  Cinyphii ductor qui gregis esse solet.
Post vbi summissa meditantem irrumpere fronte
  Obuius obliquo terruit ore caper,
Tristis abit, longaque fugax de valle locutus:
  Nam timor expulsum iurgia ferre vetat:
Non te demissis setosum putide barbis,
  Illum qui super est, consequiturque tremo.
Nam si discedat, nosces stultissime quantum
  Discrepat à tauri viribus hircus olens.

¶ Dum cupis illatum tibimet persoluere damnum,
  Absque tui damno hocce caueto fore.

SIMIA & IVPITER.

FABVLA XIV.

Iupiter in toto quondam quæsiuerat orbe,
  Munera natorum quis meliora daret.
Certatim ad Regem currit genus omne ferarum,
  Permistumque homini cogitur ire pecus.
Sed nec squamigeri desunt ad iurgia pisces,
  Vel quidquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidæ ducebant pignora matres,
  Iudicio tanti discutienda Dei.
Tunc breuis informem traheret quum simia natum,
  Ipsum etiam in risum compulit ire Iouem,
Hanc tamen ante alias rupit turpissima vocem,
  Dum generis crimen sic abolere cupit.
Iupiter hoc norit, maneat victoria si quem,
  Iudicio superest omnibus iste meo.

¶ Ergo mos homini est, quidquid sibi fecerit ipse,
  Vile licet maneat, comprobat ipse tamen.
Nolo velis rerum quidquam laudare tuarum,
  Alterius nisi sint ore probata prius.

GRVS & PAVO.

FABVLA XV.

Threïciam volucrem fertur Iunonius ales
 Communi sociam continuisse cibo.
Namque inter varias fuerat discordia formas,
 Magnaque de facili iurgia lite trahunt.
Quòd sibi multimodo fulgerent membra decore,
 Cæruleam facerent liuida terga gruem.
Et simul erectæ circumdans tegmina caudæ,
 Sparserat arcanum rursus in astra iubar.
Illa licet nullo pennarum certet honore,
 His tamen insultans vocibus vsa datur:
Quamuis innumerus plumas variauerit ordo,
 Mersus humi semper florida terga geris.
Ast ego deformi sublimis in aëre penna,
 Proxima sideribus, numinibusque feror.

¶ Si quadam virtute nites, ne despice quemquam,
 Ex alia quadam forsan & ille nitet.

QVERCVS & ARVNDO.

FABVLA XVI.

Montibus è summis radicitus eruta quercus
 Decidit, insani turbine victa Noti.
Quam tumidis subter decurrens alueus vndis
 Suscipit, & fluuio præcipitante rapit.
Verùm, vbi diuersis impellitur ardua ripis
 In fragiles calamos, grande resedit onus.
Tunc sic exiguo connectens cespite ramos,
 Miratur liquidis quod stet arundo vadis.
Se quoque tam vasto nec dum consistere trunco,

Ast illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando respondit canna susurro,
Seque magis tutam debilitate docet.
Tu rapidos, inquit, ventos, sæuasque procellas
Despicis, & totis viribus acta ruis.
Ast ego surgentes paulatim demoror Austros,
Et quamuis lenibus prouida cedo Notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus:
Motibus aura meis ludificata perit.

¶ Hæc nos dicta monent magnis obsistere frustra,
Paulatimque truces exsuperare minas.

TIGRIS & VENATOR.

FABVLA XVII.

Venator iaculis haud irrita vulnera torquens,
Turbabat rabidas per sua lustra feras.
Tunc pauidis audax cupiens succurrere tigris,
Verbere commotas iussit adesse minas.
Ille tamen solito contorquens tela lacerto,
Nunc tibi qualis eram nuncius iste refert.
Et simul emissum transegit viscera ferrum,
Perstrinxitque citos hasta cruenta pedes.
Molliter affixum traheret cùm saucia telum,
A trepida fertur vulpe retenta diu.
Dic quis ille foret, qui talia vulnera ferret,
Aut vbinam iaculum delituisset agens?
Illa gemens, fractoque loqui vix murmure cœpit:
Nam solitas voces ira dolorque rapit.
Nulla quidem medio conuenit in aggere forma,
Quæque oculis olim sit repetenda meis:
Sed cruor, & validis in nos directa lacertis
Ostendunt aliquem tela fuisse virum.

❡ Bruta licet soleant animalia iure timeri,
Omnibus est illis plus metuendus homo.

IVVENCI & LEO.

FABVLA XVIII.

Quatuor immensis quondam per prata iuuencis
Fertur amicitiæ tanta fuisse fides,
Vt simul emissos nullus diuelleret error,
Rursus & e pastu turba rediret ouans:
Hoc quoque collatis inter se cornibus ingens
Dicitur in syluis pertimuisse leo,
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et coniuratos horret adire boues.
Sed, quamuis audax, factisque immanior esset,
Tantorum solus viribus impar erat.
Protinus aggreditur prauis insistere verbis,
Collisum cupiens dissociare pecus.
Sed postquam dictis tauros disiunxit acerbis,
Inuasit miserum, diripuitque gregem.
Tunc quidam ex ipsis: vitam seruare quietam
Qui cupit, ex nostra discere morte potest:
Neve cito admotas verbis fallacibus aures
Impleat, aut veterem deserat ante fidem.

ABIES & DVMVS.

FABVLA XIX.

Horrentes dumos abies pulcerrima risit,
Cum facerent formæ iurgia magna suæ,
Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus consociaret honor.
Nam mihi deductum surgens in nubila corpus,

Verticis erectas tollit in astra comas.
Puppibus & patulis media quum sede locamur,
In me suspensos explicat aura sinus.
At tibi deformem quod dant spineta figuram,
Despectum cuncti præteriere viri.
Ille refert: nunc læta quidem bona sola fateris,
Et nostris frueris imperiosa malis.
Sed quum pulcra minax succidet membra securis,
Quam velles spinas tunc habuisse meas.

¶ Nemo suæ carnis nimium lætetur honore;
Ne vilis factus post sua damna gemat.

PISCATOR & PISCIS.

FABVLA XX.

Piscator solitus prædam suspendere seta,
Exigui piscis vile trahebat onus.
Sed postquam superas captum perduxit ad auras,
Atque auido fixum vulnus ab ore tulit:
Parce precor lacrymis, supplex ita dixit obortis:
Nam quanta ex nostro corpore damna feres?
Nunc me saxosis genitrix fecunda sub antris
Fudit, & in proprijs ludere iussit aquis:
Tolle minas, tenerumque tuis sine crescere mensis:
Hæc tibi me rursum littoris ora dabit.
Protinus immensi depastus cærula Ponti,
Pinguior ad calamum sponte recurro tuum.
Ille nefas captum referens absoluere piscem:
Difficiles queritur casibus esse vices.
Nam miserũ est, inquit, præsentem amittere prædã,
Stultius & rursum vota diurna sequi.

¶ Incerta pro spe non munera certa relinque,
Ne rursus quæras, forte nec inuenias.

RVSTICVS & AVIS.

FABVLA XXI.

Paruula progeniem terræ mandauerat ales,
  Qua stabat viridi cespite flaua seges.
Rusticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
  Vicinam supplex forte petebat opem.
Sed vox implumes turbauit credula nidos:
  Suaserat & Laribus continuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet discedere mater:
  Nam, quid ab externis perficietur? ait.
Ille iterum charis operam mandauit amicis:
  At genitrix rursum tutior inde manet.
Sed postquam curuas dominum comprendere falces,
  Frugibus & veram sensit adesse manum.
Nunc ait, ô miseri dilecta relinquite rura,
  Quum spem de proprijs viribus ille petit.

INVIDVS & AVARVS.

FABVLA XXII.

Iupiter ambiguas hominum prædiscere mentes,
  Ad terras Phœbum misit ab arce poli.
Tunc duo diuersis poscebant munera votis:
  Namque alter cupidus, inuidus alter erat.
His sese medium Titan scrutatus vtrumque
  Obtulit, & precibus vt peteretur, ait.
Præstabit facilis: nam quæque rogauerit vnus,
  Protinus hæc alter congeminata feret.
Sed cui longa iecur nequeat satiare cupido,
  Distulit admotas in noua damna preces:
Spem sibi confidens alieno crescere voto,
  Seque ratus solum munera ferre duo.

Ille vbi captantem socium sua præmia vidit,
Supplicium proprij corporis optat ouans.
Nam petit extinctus vt lumine degeret vno,
Alter vt hoc duplicans viuat vtroque carens.
Tunc sortem sapiens humanam risit Apollo,
Inuidiæque malum retulit ipse Ioui.
Quæ dum prouentis aliorum gaudet iniquis,
Lætior infelix & sua damna cupit.

STATVARIVS.

FABVLA XXIII.

Venditor insignem referens de marmore Bacchum,
Expositum pretio fecerat esse Deum.
Nobilis hunc quidam, funesta in sede sepulcri,
Mercari cupiens, compositurus erat.
Alter adoratis vt ferret munera templis,
Redderet & sacro debita vota loco:
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Quum spes in pretium munera dispar agit.
Et me defunctis seu malis tradere Diuis,
Siue decus busti, seu velis esse Deum:
Subdita namque tibi est magni reuerentia fati,
Atque eadem retines funera nostra manu.

¶ Conuenit hoc illis, quibus est permissa potestas,
Aut præstare magis, seu nocuisse velint.

VENATOR & LEO.

FABVLA XXIV.

Certamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam nobilis, atque leo,

Hi quum perpetuum cuperent in iurgia finem,
Edita continuo forte sepulcra vident.
Illic docta manus flectentem colla leonem
Fecerat in gremio procubuisse viri.
Scilicet affirmans pictura teste superbum
Se fieri: exstinctam nam docet esse feram.
Ille graues oculos ad inania signa retorquens
Intremit,& rabido pectore verba dedit.
Irrita te generis subijt fiducia nostri,
Artificis testem si cupis esse manum.
Quod si nostra nouum caperet solertia sensum,
Sculperet vt docili pollice saxa leo:
Tunc hominẽ adspiceres oppressũ murmure magno,
Conderet vt rabidis vltima fata genis.

PVER & FVR.

FABVLA XXV.

Flens puer extremam putei consedit ad oram,
Vana superuacuis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lacrymis postquam fur vidit obortis,
Quænam tristitiæ sit modo causa, rogat.
Ille sibi abrupti fingens discrimina funis,
Atque auri queritur desiluisse cadum.
Nec mora sollicitam traxit manus improba vestem,
Exutus putei protinus ima petit.
Paruulus exiguo circumdans pallia collo,
Sentibus immersus delituisse datur.
Sed post fallacis suscepta pericula vocis,
Tristior amissa veste resedit humi.
Dicitur his solers vocem rupisse querelis,
Et gemitu summos sollicitasse Deos.
Perdita, quisquis erit, post hac bene pallia credat,
Qui putat in liquidis quod natet vrna vadis.
¶ Nemo nimis cupide sic res desideret vllas,
Ne plus quum cupiat, perdat & id quod habet.

LEO & CAPELLA.

FABVLA XXVI.

Viderat excelsa pascentem rupe capellam,
Cominus esuriens quum leo ferret iter.
Et prior, heus inquit, præruptis ardua saxis
Linque, nec hirsutis pascua quære iugis.
Sed cytisi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas salices, & thyma grata pete.
Illa gemens, desiste precor fallaciter, inquit,
Securam placidis insimulare dolis.
Vera licet moneas, maiora pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis esse fidem.
Nam quamuis rectis constet sententia verbis,
Suspectam hanc rabidus consiliator habet.

¶ Ne citius blandis cuiusquam credito dictis:
Sed, si sint fidei, respice quid moueant.

CORNIX & VRNA.

FABVLA XXVII.

Ingentem sitiens cornix adspexerat vrnam,
Quæ minimam fundo continuisset aquam
Hanc enixa diu planis effundere campis,
Scilicet vt nimiam pelleret inde sitim,
Postquam nulla viam virtus dedit, admouet omnẽ
Indignata noua calliditate dolos.
Nam breuis immersis adcrescens sponte lapillis,
Potandi facilem præbuit vnda viam.

¶ Viribus hæc docuit, quam sit prudentia maior,
Qua ceptum volucris explicuisset opus.

RVSTICVS & IVVENCVS.

FABVLA XXVIII.

Vincla recuſanti, dedignantique iuuenco
Aſpera mordaci ſubdere colla iugo:
Ruſticus obliqua ſuccidens cornua falce,
Credidit inſanum defremuiſſe pecus.
Cautus & immenſo ceruicem innectit aratro:
Namque erat hic cornu promtior atque pede.
Scilicet vt longus prohiberet verbera remo,
Neve ictus faciles vngula ſæua daret.
Sed poſtquam irato detrectans vincula collo
Immeritam vacuo calce fatigat humum:
Continuo euerſam pedibus diſpergit arenam,
Quam ferus in domini ora ſequentis agit.
Tunc ſic informi ſquallentes puluere crines
Diſcutiens, imo pectore victus ait:
Nimirum exemplum naturæ deerat iniquæ,
Qua fieri poſſes cum ratione nocens.

SATYRVS & VIATOR.

FABVLA XXIX.

Horrida congeſtis quum ſtaret bruma pruinis,
Cunctaque durato ſtringeret arua gelu:
Hæſit in aduerſa membrorum mole viator:
Perdita nam prohibet ſemita ferre gradum.
Hunc nemorum cuſtos fertur miſeratus in antro
Exceptum Satyrus continuiſſe ſuo.
Quem ſimul adſpiciens ruris miratur alumnus,
Vimque homini tantam protinus eſſe pauet.
Nam, gelidos artus vitæ vt reuocaret in vſum,
Afflatas calido ſoluerat ore manus.

Sed quum depulso cœpisset frigore lætus
Hospitis eximia sedulitate frui:
Namque illi agrestem cupiens ostendere vitam,
Siluarum referens optima quæque dabat:
Obtulit & calido plenum cratera Lyæo,
Laxet vt infusus frigida membra tepor.
Ille vbi feruentem labris contingere testam
Horruit: algenti rursus ab ore sufflat.
Obstupuit duplici monstro perterritus hospes,
Et pulsum siluis longius ire iubet.
Nolo, ait, vt nostris vnquam successerit antris,
Tam diuersa duo qui simul ore ferat.

¶ Qui bene colloquitur coram, sed postea praue;
Hic erit inuisus, bina quòd ora gerat.

RVSTICVS & SVS.

FABVLA XXX.

Vastantem segetes, & pinguia culta ruentem
Liquerat abscissa rusticus aure suem.
Vt memor accepti referens monumenta doloris,
Vlterius teneris parceret ille satis.
Rursus in excepti deprensus crimine campi,
Perdidit indultæ perfidus auris onus.
Nec mora, prædictæ segeti caput intulit horrens,
Pœna sed indignum congeminata facit.
Tunc domini captum mensis dedit ille superbis,
In varias epulas plurima frusta secans.
Sed eum consumti dominus cor quæreret apti,
Impatiens fertur quod rapuisse cocus:
Rusticus hoc iustum verbo compescuit iram,
Affirmans stultum non habuisse suem.
Nam cur membrorum toties in damna redisset
Atque vno demens posset ab hoste capi?

Hæc illos descripta monent, qui sæpius ausi,
Nunquam peccatis abstinuere manus.

MVS & BOS.

FABVLA XXXI.

Ingentem fertur mus quondam paruus oberrans
Ausus ab exiguo lædere dente bouem.
Verum vbi mordaci confecit vulnera rostro,
Tutus in anfractus conditur inde suos.
Ille licet vasta toruum ceruice minetur.
Non tamen iratus, quem petat, ille videt.
Tunc indignantem iusto sermone fatigans
Distulit hostiles calliditate minas:
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum constituere tuis.
Disce tamen breuibus quæ sit fiducia monstris.
Et faciat quidquid paruula turba cupit.

RVSTICVS & HERCVLES.

FABVLA XXXII.

Hærentem luteo sub gurgite rusticus axem
Liquerat, & nexos ad iuga tarda boues.
Frustra depositis confidens Numina votis
Ferre suis rebus, quum resideret, opem.
Cui rector summis Tirynthius infit ab astris,
(Nam vocat hunc supplex in sua vota Deum)
Perge laborantes stimulis agitare iuuencos,
Et manibus pigras disce iuuare rotas.
Tunc quoque congressus, maioraque viribus ausus
Fas Superos animis conciliare tuis.

¶ Disce tamen pigris non flecti Numina votis,
Præsentesque adhibe, quum facis ipse, Deos.

ANSER & RVSTICVS.

FABVLA XXXIII.

Anser erat cuidam pretioso germine fœta,
Ouaque quæ nidis aurea sæpe daret.
Fixerat hanc volucri legem natura superbæ,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed dominus cupidum sperans vanescere votum,
Non tulit exosas in sua lucra moras.
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Quæ tam continuo munere diues erat.
Postquam nuda minax egit per viscera ferrum,
Et vacuam solitis fœtibus esse videt:
Ingemuit tantæ deceptus crimine fraudis.
Nam pœnam meritis rettulit inde suis.

¶ Sic qui cuncta Deos vno male tempore poscunt,
Iustius his etiam vota diuina negant.

FORMICA & CICADA.

FABVLA XXXIV.

¶ Quisquis torpentem passus transire iuuentam,
Nec timuit vitæ prouidus ante suæ:
Confectus senio, postquam grauis adfuit ætas,
Heu, frustra alterius sæpe rogauit opem.

Solibus obreptos hiemi Formica labores
Distulit, & breuibus condidit ante cauis.
Verum vbi candentes suscepit terra pruinas,

Atuaque sub gelido delituere gelu.
Pigra nimis tantos non æquans corpore nimbos,
In proprijs laribus humida grana legit.
Discolor hanc precibus supplex alimenta rogabat,
Quæ quondam querulo ruperat arua sono.
Se quoque maturas quum tunderet area messes,
Cantibus æstiuos explicuisse dies.
Paruula tunc ridens sic est affata cicadam:
(Nam vitam pariter continuare solent.)
Mi quoniam summo substantia parta labore est,
Frigoribus medijs otia longa traho.
At tibi saltandi nunc vltima tempora restant,
Cantibus est quoniam vita peracta prior.

SIMIA & GNATI.

FABVLA XXXV.

Fama est, quod geminum profundens simia partum
Diuidit in varias pignora nata vices.
Namque vnum caro genitrix eduxit amore,
Alterius odijs exsaturata tumet.
Cœperit vt feram grauior terrere tumultus,
Dissimili gnatos conditione rapit.
Dilectum manibus, vel pectore gestat amico,
Contemtum dorso suscipiente leuat.
Sed cum lassatis nequeat consistere plantis,
Oppositum fugiens sponte relinquit onus.
Alter at hirsuto circumdans brachia collo
Hæret, & inuita cum genitrice fugit.
Mox quoque dilecti succedit in oscula fratris
Seruatus, vetulis vnicus hæres auis.

¶ Sic multos neglecta iuuant, atque ordine verso
Spes humiles rursus in meliora refert.

VITVLVS & BOS.

FABVLA XXXVI.

Pulcher & intacta vitulus ceruice resultans
Scindentem assidue viderat arua bouem.
Nec pudet, heus, inquit, longæuo vincula collo
Ferre, nec expositis otia nosse iugis;
Quum mihi subiectas pateat discursus in herbas,
Et nemorum liceat rursus opaca sequi.
At senior, nullam verbis compulsus in iram,
Vertebat solitam vomere fessus humum,
Donec deposito per prata liceret aratro
Molliter herboso procubuisse toro.
Mox vitulum sacris innexum respicit aris
Admotum cultro cominus ire prope.
Hanc tibi tristis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem nostri quæ facit esse iugi.

¶ Proderit ergo graues quamuis perferre labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati,
Est hominum sors ista, magis felicibus vt mors
Sit cita, cum miseros vita diurna regat.

CANIS & LEO.

FABVLA XXXVII.

Pinguior exhausto canis occurrisse leoni
Fertur, & insertis verba dedisse iocis.
Nonne vides duplici tendantur vt alia tergo,
Luxurietque toris nobile pectus? ait.
Proximus humanis ducor post otia mensis,
Communem capiens largius ore cibum:
Sed quod crassa, malum, circumdat guttura ferrum,

Ne custodita fas sit abire domo.
At tu magna diu moribundus lustra pererras,
Donec se siluis obuia præda ferat
Perge igitur nostris tua subdere colla catenis,
Dum liceat faciles promeruisse dapes.
Protinus ille grauem gemitu collectus in iram.
Atque ferox animi nobile murmur agit.
Vade ait, & meritis nodum ceruicibus infer,
Compensentque tuam vincula dura famem.
At mea quum vacuis libertas redditur antris,
Quamuis ieiunus quælibet arua peto.

¶ Has illis epulas potius laudare memento,
Qui libertatem postposuere gulæ.

PISCIS FLVVIATILIS & MARINVS

FABVLA. XXXVIII.

Dulcibus è stagnis fluuio torrente coactus
Æquoreas præceps piscis obibat aquas.
Illic squamigerum despectans improbus agmen
Eximium sese nobilitate refert.
Non tulit exemplum patrio de gurgite phoca,
Verbaque cum salibus asperiora dedit.
Vana laboratis aufer mendacia dictis,
Quæque refutari te quoque teste valent.
Nam quis erit potior populo spectante probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur auro:
Te simul ære breui debile vulgus emet.

¶ Quisquis ab externis nuper deuenerit oris,
Non decet indigenis vt velit esse prior.

MILES & LITVVS.

FABVLA XXXIX.

Vouerat attritus quondam per prælia miles,
  Omnia suppositis ignibus arma dare:
Vel quæ victori moriens sibi turba dedisset,
  Vel quidquid profugo posset ab hoste capi.
Interea votis sors adfuit, & memor arma
  Cœperat accenso singula ferre rogo,
Tunc lituus rauco deflectens murmure culpam
  Immeritum flammis se docet esse prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos,
  Viribus affirmes quæ tamen acta meis.
Sed tantum ventis & cantibus arma coegi,
  Hoc quoque submisso testor & astra sono.
Ille resultantem flammis crepitantibus addens,
  Nunc te maior, ait, pœna, dolorque rapit.

¶ Nam licet ipse nihil possis tentare nec ausus,
  Sæuior hoc, alios quod facis ipse malos.

PARDVS & VVLPES.

FABVLA XL.

Distinctus maculis & pulcro pectore pardus
  Inter consimiles ibat in arua feras.
Et quod nulla graues variarent terga leones,
  Protinus his miserum credidit esse genus.
Cætera sordenti damnans animalia vultu,
  Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc argvta nouo gaudentem vulpes amictu
  Corripit, & vanas approbat esse notas.
Vade, ait, & pictæ nimium confide iuuentæ,

Dum mihi consilium pulcrius esse queat.

¶ Miremurq; magis quos munera mentis adornant,
Quam qui corporeis enituere bonis.

NIMBVS & TESTA.

FABVLA XLI.

Impulsus ventis, & pressa nube coactus,
Ruperat hibernis se grauis imber aquis.
Quumque per effusas stagnaret turbine terras,
Expositum campis fictile pressit opus.
Mobile namque lutum tepidus prius instruit aër,
Discat vt admoto rectius igne coqui.
Tunc nimbus fragilis perquirit nomina testæ.
Immemor illa sui, amphora dicor, ait.
Nunc me docta manus rapiente volumina gyro
Molliter obliquum iussit habere latus.
Hactenus, hac, inquit, liceat constare figura:
Nam te subiectam diluet imber aquis.
Et simul accepto violentius amne fatiscens,
Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix, quæ magna sibi cognomina sumens
Ausa pharetratis nubibus ista loqui.

¶ Hæc poterunt miseros post hac exempla monere,
Subdita nobilibus vt sua fata gemant.

LVPVS & HOEDVS.

FABVLA XLII.

Forte lupum melior cursu deluserat hœdus,
Proxima vicinis dum petit arua casis.

Inde fugam recto tendens in mœnia cursu,
Inter lanigeros adstitit ille greges.
Impius hunc raptor mediamque secutus in vrbem,
Tentat compositis sollicitare dolis.
Nonne vides, inquit, cunctis vt victima templis
Immerita pecudum morte cruentet humum?
Quod nisi securo valeas te reddere campo,
Heu, mihi vittata tu quoque fronte cades.
Ille refert: modo, quam metuis, precor, exue curam;
Et tecum viles improbe tolle minas.
Nam sat erit sacrum Diuis fudisse cruorem,
Quam rapidi fauces exsaturare lupi.

¶ Sic quoties duplici subduntur tristia casu,
Expedit insignem promeruisse necem.

FINIS.

[illegible]